



Nº 2037 *

II
juris prud.
78.a.

bo

2



Hoc Volumine continentur.

- 1) Gundling de Feudis Vexilli.
- 2) ——, de Efficientia metus.
- 3) ——, de Contione Exorum.
- 4) ——, An nobilitet Venter.²
- 5) ——, de Jure Imperii in c. N. Ducatum Etrurie.
- 6) ——, - de Renunciatione hereditatum filiorum illustrium.
- 7) ——, - de Causa et origine unionis Electoralis.
- 8) ——, - foliorum ubi Schilteri Ius Feudale.



NICOLAI HIERONYMI
GVNDLINGII ICTI

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSIAE
REGI A CONSII.IIS INTIMIS ET ECCLESIASTICIS
IVRIVM PROFESSORIS ORDINARII

DE

EMPTIONE
VXORVM DOTE
ET
MORGENGABA
EX IVRE GERMANICO
LIBELLVS SINGVLARIS.

C V M

INDICIBVS AVTORVM ET RERV.M.

Nº 2039 *



L I P S I A E
LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII.
CIO CCC XXXI.

NICOLAI HIERONYMI
GANDLINGII ICII

SPRECHSALMO AC POTHENTISSIMO PORRASI
REGIA CONSULTIS INTIMIS ET ECCESTIS TIGIS
TANNA PROTECTORIS ORDINARI

DE

EMPTEL VORAM DOTE

MÖRGENABA

EX THE GERMANICO

LITELLAS SINGULARES

INDICIBAS VATORUM ET REKAM



LITERIS IONI CHRISTIANI LANDENHEIMI
CIO 1560 XXX.



CAP. I.
DE
EMPTIONE VXORVM.

S. I. Vptialis societas consensu perficitur; cumque, si ad regulam contrahatur, durabilis esse debeat, non sine solennibus ad pieam ineundam se se mouent sapientiores, ordinem semper sectantes. Hinc saepe tractatus praecedunt, quos demum promissio ac conuentio de nuptiis consequitur, si quae nomen sponsaliorum indipicitur, ac repetita demum promissio & cohabitatio absolutit; quod negotium nuptiarum solenni vocabulo signatur.

S. II. Consensus uti verbis significari potest; ita sane clarior redditur, si symbola interueniant, si arrhae, si muneraria, si pretium, si numimi. Atque fert istud mos populorum antiquissimus, ut, ubi in proprium esset acquirendā vxor, ista emeretur quasi, & sic stabili coniugio deuinciretur. Nam cum sub patria potestate ac manu agant liberi, inque primis filiae, fas est, ut inde prius redimantur,

A

tur,

CAP. I. DE EMPTIONE

tur, antequam in alienam domum abductae marito tanquam nouo Domino subiificantur. Eo modo Hebrei vxores suas pretio acquisiuere, idem Graeci veteres fecerent certo, Romani, Germani, ceteri.

§. III.

De Hebreis res indubitatis documentis constat. Cui enim obscurum est, internuncium Abrahae, cum in Mesopotamia Rebeccam heri sui filio vxorem peteret, aurea et argentea cimelia secum tulisse, armillas inauresque, quibus quaerenda et ornanda sponsa, donandusque pater cum fratre Rebeccae. Quin Chamor Chiueus, Sichemi Dinam depereuntis pater diserte Genes. cap. XXXIV. v. 32. a Iacobo eiusque filiis petit, ut fibi DOTE~~M~~ augerent ac NVPTIALIA DONA, dummodo in matrimonium acciperet deamatam puellam gnatus suus. Filiorum Iacobи mentionem iniicit Moses, quoniam sororum cura ad fratres pertinebat, hique defunctis patribus eas elocabant; quod alio loco copiosius doceri potest. Nunc sufficit, non vlli facile gratis concessam vxorem. Ipse Iacobus duro Labani, cum nummos non haberet, ministeria per septem exhibere annos noue cogebatur, antequam Rahele potiretur. Nec latet, Saulem pro dote centum Philisteorum praeputia postulasse, priusquam in lecturn genialem Dauidis Michol filia traduceretur. (vid. 1. Samuel. XVIII. v. 25.) Cui Ioannes Dougthaeus in *Analectis sacris ad h. l.* exemplum Calebii adiicit filiam suam Axam nuptui proponentis, si quis percuteret Cariabtsepher et caperet eam. Ex quo simul intelligitur, quamobrem Syris desponsandi vocabulum per machar exprimatur, quod est Hebreis vendere. Pater namque ius, quod habet in filiam, vendit, et in generum futurum transfundit: de quo Fridericus

~~-peribit auctio obni et do rei milii amico supri~~ Span-

~~203~~



Spanhemius in dubiis Euangelicis non nihil obseruat part. I. p. 247. 248. Paria de Hebraeis Maimonides veracissimus in Rabbinis Scriptor tradit, post legem coram testibus emi, seu comparari vxorem consueuisse. Vtitur is voce **תְּקַדֵּם** quae sonat *emere, acquirere*: vtut in eo labi videtur Apella, quando ante legem huiusmodi morem neutiquam obtinuisse adseuerat. Semper enim obtinuit, tum ante legem, tum post illam vniuersali populorum orientalium vsl. Cuius rei ratio haec etiam fuit, quod filii tantum essent Parentum suorum haeredes, filiae non item, quibus proinde aliunde vel a maritis, vel propinquis erat prospiciendum. Neque enim prohibitum erat Patri, aut fratri elocare illas sub donationis specie cum quadam haereditatis parte, ne pro extraneis plane haberentur. Immo humanius egisse parentes videbantur, qui extorrem ab haereditate non reliquerunt sequiorem sexum. Quare haud temere peritiores Interpretes a Mose de filiabus Zelaphendi Mossem scribunt adnotasse, itemque Auctorem libri, qui de Jobo eiusque calamitatibus tractat, eos filias suas non reliquisse haereditatis omnis expertes. Saltet lectu digna sunt, quae Num. XXVII. occurunt; itemque cap. XLII. 15. in excitata Iobi historia tribus filiabus suis in conspectu fratrum **תְּלִינָה**, hoc est, haereditatis partem largientis. Prisco quippe mortalium aevo, quod tenendum probe, venditiones filiarum inualuere, frequentesque earum sine portione paternarum opum alienationes obseruantur: rarius vero Patrum in filias et fratrum in sorores largitiones. Quo vtique pertinet, qui vxoriibus Iacobi Genef. XXXI. 14. tribuitur sermo: *Nonne pro alienis habitae sumus ab illo, quem VENDIDIT nos ac pretium nostrum absunxit.* Credibile fit, filias Labanis existi-

A 2 mas-

CAP. I. DE EMPTIONE

masse, saltem laborum premium marito solui, ac sibi restituи debuisse, quod interea retinuisse durus pater, atque in suos loculos retulisset.

§. IV.

Quod vtcunque sc̄e habeat, constat sane, veterum Graecorum mores hac parte admodum congruere Hebraeorum aliorumque orientalium inueteratis institutis. Embabant etiam illi vxores suas. Quod non solum e multis ac variis Homeri locis confirmari potest, in quibus ille de ἐδον̄ loquitur; verum etiam ipfius Aristotelis testimonio innotescit Polit. Lib. II. cap. 8. qui tanquam inhumana et barbara priscis Graeciae colonis huiusmodi emptitia matrimonia exprobaret. Stagirita enim diu post Solonem vivit, qui venalia amplius esse coniugia noluit. Ante illa tempora vero proci dona, hoc est, ἐδα certatum conferabant; sicuti antiquitatum Homericarum lib. II. cap. XI. Euerhardus Feithius multis id exemplis luculenter ostendit.

§. V.

Vnde vox ἐδον̄ descendat auctores non conueniunt. Sunt qui παρὰ τὸ ήδω dici volunt, quasi ήδεια, quod iis exhibaretur et concilietur sponsa sposo; nonnulli παρὰ τὸ ήδω quasi forent ἐδειας τηγεματω τε γάμος. Quae deriuatio postrema nisi Hebraeus consulatur sermo, magis placet, cum ea ipsam rei naturam aperire videatur, significetque, esse illa ταὶ ήπο τῶν μανσῆρων ταῖς μανσεωμέναις διδομέναις munera sponsae a sposo data, ac Φερνή quandam, sicuti Hesychius expavit, ob quam dedenda erat filia, vel soror, vel propinqua futuro marito. Etymologiam a Grammaticis quibusdam excogitataam, quasi contractum esset ἐδον̄ ex αἰδεῖν, quod est dulce, prorsus omitto: quandoquidem nihil aut

parum



parum verisimilitudinis ostendit: vtut eam Salmasius, Vir ceteroquin eruditus, adoptat. Sed, quemadmodum iam monitum, magis perspicue Hebraeorum idioma vocis huius originem detegit. Nam *Etnan* donationem exprimit: quippe *Tana* illis mercede conducere significat. *Etna* femininum merces meretricia est. Vnde ἔθνος ἔθνα Graecorum, dos sponsae, munera, dona iugalia sensu sunt dicta honestiore. Quod sicuti in *Glossario Vniuersali Hebraico* Ludouicus Thomassinus vidit; ita eius labores cupidis antiquitatum studiosis magnopere sunt commendandi. Laterem enim lauant, qui mores ac leges gentium explorare sine etymologiae praesidiis satagunt; quod est sane sine pennis volare, nec origines earumque caussas exquirere, sed fortuitis obseruationibus ac commentis confuse acquiescere.

§. VI.

Id memoratu dignius, tale negotium quibusdam donationis nomine insigniri; ab aliis emptionis titulo notari. Vtrumque mea sententia recte. Nam & donationes interueniente nummo, ac sequiori aeuo, aere interdum et libra fiebant: quod Iosephus Auerani aliquot testimentiis euicit Interpr. Lib. I. cap. XXIX. n. 5. De permutatione res est ad liquidum perducta, eam a vetustis scriptoribus emptionis verbo signari: vnde minus dubium, donationem sponsae parentibus factam veluti futurae commutationis testem simili ratione huius esse nominis participem factam: nisi quidem magis arrideat Scopae lib. I. collect. c. 21. conjectura, verbum *emere* antiquis fuisse *sumere*, aut *accipere* existimantis. Ceterum probat Iacobus Perizonius ad Aelianum lib. IV. cap. I. e Dionis Chrysostomi *Tēomῶ*, Agameinonem increpantem Helenam ab Alexandro, seu Paride abductam dicere, Helenae patrem captum esse **DONIS**. Deinde ex

A 3

Euri-

Euripidis Medea v. 910. obseruat, Iasonem vocari παρεμπολῶντας ἀλλοις γάρ, hoc est EMENTEM. Quia in re etsi haesit Gisbertus Cuperus Obseruat. lib. I. cap. XX. Euripidis non congruere aetati existimans morem mercandi vxores, in viam tamen a clarissimo Aeliani interprete reductus est vir doctus. Hoc enim eum elogio maestat nomen Cuperi silens Perizonius: vtut ex obseruatione iam adducta constat, non alium ab ipso consutari. Quod Cuperum mouit, vt sic statueret, hoc est. Animaduertit is ex eadem tragoeadia, vxores apud Graecos aduluisse dotes; ac potius sibi emissi maritos: quae conciliare sibi et in concordiam redigere nesciebat consul ceteroquin ingeniosissimus. Sed quemadmodum de Hebraeis scripsimus, nonnunquam patres benignos filiabus suis, praeter consuetudinem, dotem et promisisse, et praestitisse; ita de Graecis primis idem confirmari potest, eos nimirum generis suis ἔδωκε exsoluisse nonnunquam. Ea fini Poeta princeps ἔργων vocat τὰς πενθερὰς τὰς ἔδωκε δόντας τὰς γαμβρούς. Ex quo perspicue intelligitur, qua ratione Euripides Iasonis et Medeae fabulosa facta in theatrum traducens dotium, quibus feminae viros emissent, mentionem potuerit iniicere. Neque enim repugnat, parentes et accepisse pro filiabus dotes, et partem quoque haereditatis loco dotis dedisse, vt filia sibi coemeret ea maritum. Coemendi voce vtor, quia et apud Euripidem occurrit verbum πεισθαι v. 232.

<sup>As πεῖται μὲν δὲ χρημάτων ὑπερβολῆ
πόσιν πείσθαι, δεσπότην δὲ σώματος
λαβεῖν.</sup>

Primum maritus dote magna et splendida
emendus: nunc necesse dominum corporis
accipere.

Quae



Quae si penitus considerasset Scholiares Euripidis, non sane Poetam suum anachronismi reum fecisset, neque cum eo Cuperus Tragicum eundem propterea in ius traxisset. Vtrumque vna consistere potest; mirumque videtur, Perizonium id responsionis non dedisse dissentienti Cupero.

§. VII.

Ceterum nondum claret satis, an tempore historico apud Graecos similis mos permanerit, nempe ut emerentur vxores? Barbaram enim huiusmodi consuetudinem suo tempore pronunciat Aristoteles, eamque primis et vetustissimis Graeciae habitatoribus tribuit, non cultioris aeui incolis. Perizonius vero nihil mutat, et exempla affert, inque primis Alexandri Balae, qui se Machab. lib. I. cap. X. 54. pro Rege Syro-Macedonum gerebat, petentis Ptolemaei filiam in matrimonium, simulatque promittentis **ipsi et eius filiae DONA DIGNA.** Quo documento an penitus probauerit thema suum, adhuc ambigo. Neque enim liquet, vtrum talia dona promiserit ad morem Aegyptiorum, an Graecorum, an Syrorum? Vnde animum induxi, minime spernendum esse Stagiritae testimonium venalia ac lucri nimiam cupiditatem oalentia matrimonia veterum Graiorum reprehendentis: interea tamen non prorsus euauisse munera ac donationes ante nuptias, quarum compendia perceperere parentes, non ut retinerent, sed iterum cum natabus suis communicarent: sicuti id quoque in more positum antiquissimis mortali- um scimus.

§. VIII.

Quibus praemissis nunc demum inuestigandum restat, qua ratione Athenienses cum maxime ab illa consuetudine mercandi vxores fuerint retracti, quidue praeceperit

iis-



iisdem Solon, et quid denique in vsu apud iuniores Graecos permanserit? Atque in confessu est, Solonem venalia aboleuisse matrimonia. Hoc Plutarchus in eius vita memoriae prodit; nec est quisquam, qui hac parte Chæronensi ausus sit contra ire. Duntaxat quaeritur, quid intelligat per venalia matrimonia? In Graeco est: *§ γὰρ ἐβέλετο μιθοφόρον ή ἀνιον εἶναι τὸν γάμον.* Quare putem, dispuisse Legislatori orientalium morem, inque primis Assyriorum, qui virgines coniugio habiles voce praeconis vnales pronunciando plus licitantibus vendiderunt; aut etiam veterum Graecorum, qui dona ac pecora magis, quam virtutem et amorem et liberorum procreationem sunt contuiti. Ut vero munera vniuersa ante nuptias cesserent, vix Solonem, crediderim, voluisse, multo minus, ut ne dona vlla maritis feminæ ferrent. Vno verbo: Luxuriam dotium coercuit, et usurariis venditionibus atque emptionibus moderatus est; neutiquam vero munera modica et si qua haereditatem vel totam, vel eiusdem partem dare voluisse, prohibuit. Incredibile namque est, tam rigidam tulisse legem Solonem, quae in vita ac moribus Atheniensium post illam legislationem nusquam fere in usum inuenitur traducta. Immo vero ex multis oratorum Graecorum testimonii constat, *ἀπρόμον*, seu indotata virginem non tam vxorem, quam concubinam fuisse visam. Vnde penitus ab Hugone Grotio dissentio, qui Solonem omnes sustulisse dotes, vtque viri feminis potius dotem afferrent, statuisse existimat ad rubricam Digestorum de dotibus. Secundum meam expositionem munera reciproca, et dotes quoque ab vxoribus adlatae subsistunt, aut saltem firmo confistere tibicine poterunt. Nihil enim impedit, quo minus et sponsae, et eius patri aliquid muneris apportet, si modicum sit, nec quaestum,

nec



nec lenocinium oleat, nec Laidis μίθωμα aemuletur, quod largiatur sponsus. Nam qui, quaeue frugi sunt, argentum haud expetunt, αὐτοῖς δὲ αργύριον οὐ χειροῦ. Est hoc apud Comicum Aristophanem epiphonema Chremyli in Pluto Act. I. Scen. II. v. 135. quod luculentius circumspiciendum, cuique sine dubio Solonis argumenta congruunt luxuriam dotium refraenantis. Vnde nihil reliquum est, quam ut post Solonem afferantur exempla, atque ex iis inua-
lescens mos reciprocum dotium, seu donationum fir-
metur, ne Solon illas omnino omnes abrogasse amplius
statuatur. Quod quanquam Salmasius praestari posse de-
sperauit; non ita tamen crude Solonis iste sententiam
censuit exponendam in tractatu de modo usurarum p. 144.

§. IX.

Sed nostra vero opella efficiemus forte, ut dubia Doctorum vanescant. Quippe constat e veterum libel-
lis, durasse nihilominus προγάμον, hoc est, dona ante nuptialia. Ac testatur Pollux, ea in vsu semper fu-
isse. De dotibus vero sensu Romano talibus plane nihil ambigui supereft. Patet id ex Comicorum aliorumque Scriptorum testimoniosis; nec verisimile est, publico in theatro dotes esse dictas et promissas more Graecorum, nec eas tamen in vsu fuisse. Quidquid Solon prohibuit, ad donationum reciprocum luxuriam coercendam per-
tinet. Vxor ex eius sententia non plures tribus vestibus inferre debebat, et parui pretii supellestilem. Iulius Pollux Φεύγετεο Saraginem nominat, quam ad nuptias procedens sponsa ferre obstringebatur. Lib. I. c. XII. sect.
15. Eius generis oblationes cum respectu pristinarum non mereantur dotium nomen, hinc factum puto, ut Plutarchus ob hasce largitiones ad frugalitatem redactas dotes scribat a Solone prohibitas; praecipue

B

cum



cum rationem Attici Legislatoris generalem e vetustis monumentis detegeret, videlicet, matrimonia liberorum quaerendorum atque amicitiae, non lucri causa contrahendas esse. Neque vero id fuisse Soloni propositum, quod filiae Attico iure re ipsa postmodum accepere dotes sat grandes. Probant id clarissime Isaei, quae supersunt, orationes, quae de rebus priuatis, veluti de haereditatibus conscriptae sunt omnes. Ex his simul intelligitur, masculos praelatos in haereditate feminis, hasque cum dote fuisse dimissas a patre, atque si hic defecisset, ad fratri officium pertinuisse, forores dotare digne. Quod, qui fecerunt, ad sui commendationem saepius adduxere, sicuti hoc iterum ex IX. oratione Isaei patescit, vbi auctor facta sua di laudans inter alia: Εγώ δέ, inquit, βασιχείας σοις ὑπαρχόσας αἰδελφὰς μὲν ἐξέδωκα, σοις ἐδινέμην ἐπιδές. Etsi modicus opum, forores tamen nuptum dedi quantacunque dote. Et ostendit vero ex eodem Isaeo Iacobus Perizonius de *lege Voconia* p. 124. decimam fere haereditatis partem fororibus dari debuisse, quem legisse non poenitebit. Addo, ἐπίληπτον, hoe est, quae neque Patrem, neque fratres habuisset, neque consanguineos totam saepe substantiam viro in dotem adtulisse, eumque πάντων δεσπότην fecisse, perinde ac Clitophonem Leucippe apud Achillem Tatium lib. V. ἐρωτικῶν p. 309. Cui responsi, si quis acquiescere nolit, is, quaeſo, cogitet, an forte Athenienses a Solonis institutis mox iterum recesserint? Est haec Thucydidis de ciuibus suis frequens querela scriptoris sane grauissimi; est et Demagogi Cleonis apud eundem inconstantiam populi reprehendentis p. 194. edit. Wechel. Πάντων δὲ δενότατον, εἰ βέβαιον ἡμῖν μηδὲν καθεσῆτε ὥν τὸν δόξην πέρι. μηδὲ γνωσόμεθα ὅτι χείροις σύμφωνοις χρωμένη πόλις χρείσσων ἐστιν, η καλῶς ἔχεσσιν ἀκύροις.

Omnium



Omnium vero perniciosissimum erit, si nihil eorum, quae a nobis decreta fuerint, certum firmumque maneat; nec intelligamus illam Reipublicam, quae malis quidem, sed tamen immotis legibus vtitur, praestantiorem esse, quam illam, quae bonis quidem legibus vtitur, sed mobilibus.

§. X.

Magis παρέδοξον est, quod de Spartanis sum subiecturus. Ad vnum enim omnes fere existimant viri ceteroquin docti, apud Lacedaemonios dotes penitus cessasse, idque ex Lycurgi disciplina ortum; cuius legem idem, quem saepe laudauimus, recitat Plutarchus. Nec negari potest, paria memoriae prodi ab Aeliano lib. VI. cap. 6. quamuis de Atheniensibus talia eo loco non referat; adeo ut fugitiuo oculo hunc auctorem legisse videantur, qui contrarium scribunt. Similia Iustinus lib. III. cap. 3. aliique tradunt. Verum tamen in alia omnia abit Aristoteles Politicorum lib. II. c. 7. vt qui diserte Lacedaemonios μεγάλας διδούσι περικλας testatur. Vnde fortassis cogendum, Lycurgi legem vel aliter esse exponendam, vel Spartanos a veteri more iterum resiliisse, vel denique nouo inuento dotes alio sub nominis velo prium dedisse, donec vetusto more prorsus sepulto, talis pecunia rursus dotis nomine veniret. Quam in sententiam cum clarissimus Perizonus ad Aeliani lib. VI. cap. IV. inclinet, et rationem adferat, audio paullisper. Pertinebat enim tanquam haereditatis portio ad filiam sextans ferme ex quinque totius agri: vnde tot ἐπίκλησι virgines agros possidentes eodem Stagirita obseruante.

§. XI.

Quod vtcunque sit, lubet quaerere, quam ob rem Solon non plures, quam tres vestes iusserit inferri? Et



putem inoleuisse apud Athenienses morem , vt sponsa mitteret sponso ac futuro suo marito vestes: quas propterera Iulius Pollux inter προγάμους refert. Ex quo denao pellucet, non adeo improbare esse, Solonem solas immodicas donationes castigasse, ne vita frugalis suorum luxuriae contagium traheret. De vestibus autem Atheniensium ἐν παρέδω animaduerto, eas et viris et feminis communes fuisse: quod iam ab aliis fuse est ostensum; sed hoc interea loco obseruatu minime indignum , vt magis appareat Attici legislatoris frugale propositum.

§. XII.

A Graecis iunioribus sua quadantenus hauserunt Romani; sed ita tamen, vt aliquid ex veteri emptione, dispari licet ratione, euidentius seruarent. Neque enim credendum est, Romanos omnia Graecorum iuniorum instituta sua fecisse ex asse. Erat Romanum asylum variis gentibus repletum, sique Dionysio Halicarnasseo credendum, et Galli et Germani, et Latini, et ex magna Graecia Siciliaque permulti in nouam illam urbem confluxere: quod iam ab Andrea Borrichio in *Vindic. Lat. Linguae p. 2.* scimus adnotatum.

§. XIII.

Quare operae pretium nos facturos confido , si de illo vetustissimo coemptionis ritu aliquid commentemur: in quo nemo oportunius Varrone, cuius verba Nonius Marcellus in voce *nubentes* seruauit, nobis auxilio venit. Ita enim ille p. m. 555. edit. Plantin. *Nubentes veteri lege Romana asse treis ad maritum venientes solebant ferre, atque unum, quem in manu tenerent, tanquam emendi cauffa, marito dare: alium, quem in pede haberent, in foro Larium familiarium ponere: tertium in sacciperione cum condidissent compito vicinali solere RESIGNARE. Inde Virg. Georg. t. Te-*



Teque sibi generum Tethys EMAT omnibus vndis,
quos ritus Varro lib. I. de vita populi Romani diligentissime
percurrit.

§. XIV.

Dubium igitur non est, quin nubens semina sibi e-
merit maritum. Eam ob rem aspes ferebat, vnum, quo
compararet sibi virum, alterum, quo acquireret sibi eius-
dem Lares (*) ac Deos familiares, tertium, quem in mar-
suspio condidit, tum demum *resignauit*, (**) cum in com-
pito vicinali in domum eius transiret ac materfamilias ef-
ficeretur. Non cepere viri eruditii, quid sit COMPITVM
VICINALE: hinc ea verba omisere aliqui, reputantes
glossema. Ego vero haud temere animum induco, ita
vtique scripsisse Varronem. Estque exploratum, virgi-
nem in hortos deductam ibi separatam primum a viro di-
aetam habuisse; deinde diruta maceria in domum mariti
transiisse, eiusque familiam. Haec maceria COMPITVM fu-
it VICINALE, der Scheideweg. Vix mihi meisque cogi-
tatis fidem tribuet Lector, nisi Terentii locum hanc rem
maxime illustrantem afferam, Ceruidiisque Scæuolæ re-
sponsum demum subiiciam. Sic enim Comicus in Adel-
phis act. V. scen. 7.

*Atque hanc in HORTO MACERIAM iube dirui,
Quantum potest: bac transfer: unam fac domum:
Traduce et matrem et familiam omnem ad nos.*

Ergo in horto substituit paullisper sponsa, donec cum fa-
milia viri commixtio fieret, illaque COMPITVM VICI-

B 3

NALE

(*) Habet egregia J. G. Graeuius de emptione sacrorum in
notis ad orationem Ciceronis pro Muraena cap XII.

(**) Est in plerisque editionibus resonauit: pro quo Palmerius legit *rezonauit*: quem et Salmasius fere sequitur ad scriptores Hist. augustae p. m. 153.

NALÉ transfiret. Ex hoc loco etiam intelligi potest Cerdidi Scaeuelae difficultimum responsum l. 66. ff. §. 1. de donationibus inter virum et uxorem. VIRGINI in hortos deducetae ante diem tertium, quam ibi nuptiae fierent, cum in separata DIAETA ab eo esset, die nuptiarum, priusquam ad eum transfiret, et priusquam aqua et igni acciperetur, (id est, nuptiae celebrarentur,) obtulit decem aureos dono: Quae situm est, post nuptias contractas diuorito facta, an summa donata repeti possit? Respondit, id quod ante nuptias donatum proponeretur, non posse de dote deduci. Vedit Petrus Perrenonius doctissimus Iureconsultus Gallus animaduersionum lib. I. cap. VI. primus hunc Terentii locum; simulatque posse isto luculenter illustrari Scaeuelae dicta deprehendit: de compito vicinali nihil cogitauit. Quocirca non abs re fore putauit, si eandem obseruationem Varronis obscurissimis verbis extricandis adhiberem.

§. XV.

Duntaxat ambiguum, unde nam hunc coemptionis ritum acceperint Latini? Neque enim hic orientalium, aut Graecorum veterum ἐδνα adesse videntur. Ibi vir emit, hic uxor virum, eiusque sacra et familiam. Vetus opinor, emptionem fuisse reciprocam, unde forte coemptio dicta, eine Zusammenauffung. Indicat hoc quodammodo mancipatio sequori aeuo imaginaria; significantque mutuae interrogations et responsiones, an ille sibi paterfamilias, atque ista sibi matresfamilias esse cuperet? Saltem ex Gellii Noctium Atticarum lib. XIV. c. 6. fere eluet, mancipationem interuenisse; ac multo clarius ex Boethii verbis patet, quae, quia in vulgus nota, non adscriberemus, nisi doctrinae gratia id necessarium factu existimaremus. Matresfamilias, inquit ille ad Ciceronis Topica, erant, quae ducebantur per COEMPTIONEM: quae vero



vero vſu, minime. Coemtio fiebat, cum ſe in coemendo inueni-
cem interrogabant: Vir, an ſibi materfamilias eſſe vellet; ubi
illa repondebat, Velle: item mulier, an vir ſibi paterfamili-
as eſſe vellet; ille repondebat, Velle. Itaque ſic mulier viri
conueniebat in manum: et vocabantur hae nuptiae per COEM-
PTIONEM. Caufa nominis remotior, nempe, quam-
obrem hic actus coemptio fuerit dictus e Varrone de vita
populi Romani eiusque vētustis moribus petenda eſt, quos
apud orientales et Graios fere ſimiles inuenimus. (*) Cu-
ius rei certiora vestigia offendimus, quando veterum locu-
tiones circumſpicimus, quae maritis ſeruiſſe huiusmodi
vxores inque manum eorum veniſſe indicant. Non fido
alias lapidibus ſolis; ſed cum haec res ſatis aliunde fit
cognita, ſaxum Patavinum laudo:

PUBL. CLAVD. QVAEST.

AER.

ANTONINAM VOLVMNIAM

VIRGINEM

VOLENT. AVSPIC.

E. PARENTIBVS SVIS COEMIT.

ET FAC. IIII. IN DOM.

DVXIT.

Faces autem in ſolenni hoc duetu adhibitas tum apud
Graecos, tum Romanos extra controuersiam habendum.
Terentius loco antea producto LAMPADAS vocat. Vnum
dubium, quod quatuor facium in hac inscriptione mentio
fiat; cum alioquin Plutarchus commemoret, quinque fa-
cibus Romanos in huiusmodi ſolenni ac nuptiali pompa
vſos. Sed non eſt, quod numerum huncce statuamus
adeo fixum, inque vniuersis nuptiis continuo eundem.

§. XVI.

(*) Colligit Schilterus e Tertulliano, a ſponſa arrham ſponſo
yicifum datam exerc. ad ff. XXXVI. §. 57.

§. XVI.

Id exploratius, prouenisse ab hoc more arrhabones non solum, seu arphas sponsalitias, sed annulum in primis, quasi pignus factae de futuris nuptiis sponsionis. Ut ita rationes subducam, Plinii testimonium efficit Hist. Natur. lib. XXXIII. c. 2. qui annulum in signum perfectae sponsionis atque emptionis arrhae loco datum apud suos adfirmat. Iam vero cum cessarent nuptiae coemptionales, aut saltem rarius adhiberentur, signum emptionis peractae, quod erat annulus, remanebat solum. Non memini, esse hoc ab aliis obseruatum, vtut de annulo pronubo non desunt variarum obseruationum, ac saepe etiam leuissimarum, farragines. Coniecturam capit Perizonius in notis ad Aelianum Lib. IV. cap. I. ab hisce donis, muneribus, atque pignoribus etiam apud Romanos donationes ante nuptias videri coortas: quod iis omnino peregrinum apparebit, qui Iustiniano fidem habent aienti, *a veteribus prudentibus eas esse ignoratas.* Quod si autem incognitae fuere Iureconsultis, consequitur certe, vt ne etiam in vsu fuerint, multo minus, vt ab illis *εδοις προγραμμοις* emptionibus, atque coemptionibus istae propullulauerint tandem. Sed facile elabitur vir doctus, statuens haud temere, propterea a Iustiniano eius generis donationes pronuntiari incognitas, *quia non eo olim iure erant praeditae, quo postea.* Donasse enim sponsam sponsumque inuicem sibi ante nuptias: quid? quod etiam parentibus lata munera I. 2. C. de donationibus ante nuptias peruinxit, quae est Alexandri Seueri ad Attalum: *Si Praesidi prouinciae probaueris, vt Eurychiam duceres, munera te parentibus eius dedisse: nisi Eurychia tibi nupserit, tibi restitui, quod dedisti, iubebit.* Haud scio, quid Wissenbachio in mentem venerit munera apud matrem parentesque deposita fingenti. Tu dic, etiam parentibus aliquando donatum, ac munera data,



data, sed ita tamen vt illa dona filiae iterum e manibus Parentum acciperent ac fortunis suis deputarent. Quod et apud Hebraeos factum, vti monitum supra. Inquisui non sine cura, quis hic fuerit Attalus et vbi egerit vitam? Ac deprehendi demum binis e nummis, quos e gaza ditissima Regis Galliae depingi curauit Ezechiel Spanhemius, Vir illustris, *de Vsū et Praestantia Numismatum Tom. II. p. 525. et 652.* hunc Attalum apud Pergamenos Praetoris munere Caracallae tempore esse functum. Caracallam vero non ita multo post Alexandrum successorem habuisse, forte in vulgus notum est. Ex quo cogendum, fuisse adhuc apud Pergamenos munera parentibus dari solita ea aetate in vsū. De quo copiosius nunc quidem disputare supersedeo: dummodo obseruet Lector, existimasse Abbatem Pezronem, (*) Pergamenos quoque, vtpote Phryges, idioma Teutonum habuisse, quorum hi essent portio ac certa propago. Saltē negandum non esse, quin Pergamum locum editiorem significet, ac *burgum*, vt nostrates loquuntur, munitum, **Burgheim**. Quippe niediocriter doctis innotescere, Troiae Pergamum veluti castellum impositum; cuius populo Romani praetorem praefecere. Addo, Graecos omnia *ψηλὰ Pergama* vocasse. v. Voss. lib. IV. *Inst. Orat.* p. 137.

§. XVII.

Nunc enim ad Germanos meos proprio, vbi emptiae vxores occurrunt, sicuti apud Assyrios, Thraces, Armeniosque. De posterioribus Nouella Iustiniani XXI. testatur, feminas istic emi a maritis. De mediis Solinus consulendus cap. XVI. vbi *nupturas*, ait, *quae prae aliis specie valent, subbastari volunt*. Lego cum Salmatio aliisque *sub-*

C

bastari

(*) *De la langue des Gaulois* p. 301.

haſtari pro ſubarrhari. Eadem Xenophon tradit lib. VII. de expedit. Cyri. Καὶ ἔτι τοῦ ἐσι Θυγάτης, ὀνόματος Θεανίς γένες. Et si uilla eft tibi filia eam Thracia lege emam. De Assyriis vero in primis conſulendus eft Aelianus lib. IV. cap. I. Ασσύριοι τὰς ὄγκειας γάμου παρθένες αὐτοῖς παρέχεται εἰς τὴν πόλιν, αὐτοῖς διατὸν προπονήτας. Καὶ ἔνας, ἢν τὸν πρότατον, απόρεις νύμφην. Assyrii virgines coniugio maturas in ciuitatem aliquam conducent, earumque mercatum palam denunciant. Et quam quisque emerit, ſponsam abducit. Eadem fere de Babylonis Herodotus prodit. Nec deeffent testimonia de Tyriis aliisque populis tum orientalibus, tum meridionalibus.

§. XVIII.

Non absque ratione Thracum ſimul mentionem facio. Eft enim veriſimilis admodum laudatissimi Pezronis coniectura, etiam Thraces a Phrygibus ortum ducere, hofque inter ſe ita commixtos inueniri; vt mirum vide ri nequeat, fi et hi cum Teutonum moribus conſpirent, ac ſimilis fere color apud Armenios, et Persas, et Parthos deprehendatur. Haberem, quibus huic opinioni maiorem lucem liceret conciliare, fi exſpatiari hoc loco consultum, nec certis noſtra diſſertatio cancellis foret circumſcribenda. Commendari tamen hoc loco Campeſii Vitringae industria debet, qui Tomo obſeruationum ſacrarum I. de Parthorum Regibus CRINITIS eorumque origine, itemque Armeniis, Phrygibus, Thracibus illorumque migrationibus praeclara in medium tulit, vnde nouum indicium fiat, non adeo illepidē hac parte Abbatem Pezronem rationes inire, nec Francorum Germanorumque conſuetudines ab harum gentium iſtitutis ac more multum abludere. Eft namque pro certo habendum, ab oriente ad ſeptemtriones veniſſe populos Teutonicos et boreales omnes, non autem primitus ab

hyper-



hyperboreis partibus illos ad Eoa regna transiisse, atque eo
vnde discessere, rediisse tandem.

§. XIX.

De hisce vero septentrionalibus gentibus suisque Danis Saxo Grammaticus haud temere: *Fas apud eas esse, ne quis uxorem, nisi emptitiam duceret.* In quo vix decipitur: et si illi mores ex oriente sunt aduecti, non autem sub boreali demum plaga inuenti. De Getis, quos Thracibus iungunt, Pomponius Mela lib. II. c. i. *Virgines non a Parentibus viris traduntur, sed publice aut locantur ducendae, aut veneunt.* Probae famae que in pretio sunt; ceteras qui habeant, mercede quaeruntur. Ne dicas, Getas nequaquam esse Germanos, nec iis similes Gothos. Diu enim est, cum hanc opinionem solide confutauit Robertus Scheringhamus Anglus. Idem, qui nunc Getae, alio loco Goths dicuntur, omnes interea Scythaes; ita ut nequaquam vana sit Salmasii de *Lingua Hellenistica* p. 368. vt et Georgii Hornii in praefatione ad Boxhornii *Gallicas origines* coniectura, Getae et Scytha nomen coincidere. Quod ut clarius appareat, adscribam eius verba: *Neque sane aliunde nomen hoc quam a Kithis, qui hodieque Cataini proflixit. Sic Kitii populi Scythiae ad mare Caspium apud Strabonem.* Hinc et Aeoles pro Kithis Σκύθαις dixerunt, quemadmodum Stephano teste, pro Κιθησι, Σκύθησι. Nec alii a Kithis Getae, qui et Gothi. Perspicue hisce consonat Anastasius in historia Chronograph. Σκύθαι περιουσέντες οἱ λεγόμενοι Γότθοι, τὸν Ἰσραὴλ πέταμον ἐπὶ Δεκτε πλεῖστοι τῶν Ρωμαίων ἐπιφάτεισαν κατενέματο. Cum plurimi SCYTHAE, qui GOTHI dicuntur, Histrum fluum sub Decio transmeassent, Romanum imperium deuastabant. Nec dissentit Augustino aequalis Paulus Orosius, qui Arcadii et Honorii aeuo, quo Goths Alarico duce in Italiam irrupere, suam historiam scripsit. Communi-



CAP. I. DE EMPTIONE

carem cum harum rerum cupidis historici huius testimonium, nisi iam laudatus Robertus Scheringhamus eius verba in disceptatione *de Anglorum gentis origine* p. 180. adduxisset: ut Georgii Syncelli, Iornandis, aliorumque testimonia omittam, quae plena ille manu suppeditat.

§. XX.

Quod si ita est, non erubesco sane, quin ab hoc Gerarum more etiam Visigothorum in Hispania demum confidentium legem et consuetudinem arcessam. Nemo ogganniat, Visigothos ad hanc nationem non pertinere, ne ei veteris historiae et migrationum huius populi ignorantia iure tribuatur. Eiusdem enim gentis tum Ostrogothi, tum Visigothi fuere; hique potissimum sunt, quorum irruptiones ac deuastationes suo tempore vidit Paulus Orosius, quibusque sedes in Galliis Hispanisque permisit Honorius Imperator. Ac certum est, eos, feritate quidantenus moribus suis detracta, per Christianam religionem et Romanorum disciplinam ad moderatorem viuendi modum suis traductos: vtut interea permultum e veteri ac inolita viuendi ratione retinentes perspicue maiorum suorum vestigia ostendant. Saltem sequentia eorum in lege inueniuntur lib. III. tit. IV. in Codice Friderici Lindenbrogi: *Si intersponsum et sponsae Parentes, aut cum ipsa forsitan muliere, quae in suo consistit arbitrio DATO PRETIO, sicut CONSVETVDO est, et ante HOSTES facto placito de futuro coniugio facta fuerit definitio.* Bina obseruo. PRIMVM, non amplius Visigothos Christi doctrinam amplexos publice feminas suas subhastasse, vt prisci fecere Getae et Thrae Gerarum propago; sed inde tamen vix consequitur, vt ab hac isti stirpe non sint prosati. Cessauit eo quoque tempore vxorum inter eos multitudo, ac nemo interea ambigit, Gothos olim, polyga-



lygamiae cum maxime fauisse. ALTERVM quod indagandum, hoc est: quid sit placitum ante hostes? Et deprehendo, *ante hostes* (*) sonare in conspectu virorum armatorum, quod iam Lindenbrogius quodammodo in Glossario vidit. Nec haereo, quin Taciti obseruatio de M. G. cap. XVIII. hic locum inueniat: *Intersunt Parentes et propinqui ac munera probant: munera non ad delicias mulieres quaesita, nec quibus noua nupta comatur; sed boues et fraenatum equum, et scutum cum FRAMEA gladioque. In haec munera vxor accipitur, atque ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrantur. Ne mulier extra virtutum cogitationes, extraque BELLORVM casus se putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in praelio passuram ausuramque. Hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic viuendum, sic pereundum.* Multa sunt, quae hic forent monenda, si mores Romanos ad Germanorum comparare instituta animus esset; quae commentatorum vulgus non obseruat. Duntaxat addimus, temporibus nondum pecuniosis pecora solidorum vicem sustinuisse: quod deinde ex lege Saxonica sumus probaturi. Simile Heroica Graecorum aetate obseruatur, vnde puellae ἀλφεσιδοι dictae inuentrices boum ab ἀλφαισ, inuenire: de quibus Salmasius aliquid affert de Mod. Visurarum p. 143. ac multo plura eruditissimus Cuperus obseruat. lib. I. cap. XX.

§. XXI.

In Salica lege de primis nuptiis nihil occurrit, vnde

C 3

con-

(*) Quae expositio, si cui displiceat, is *bastas* pro *hostes* substituat. Constat enim aliunde, mendosissime descriptas esse Visigothicas leges.

concludendam, emptitias fuisse. Sed ambigi vix debet, Francorum connubia sic extitisse venalia; licet lex silentium seruet. Qua de re sicuti veteris formulae verba, quam post Marculphi Codicem Bignonius dedit p. 219. nos dubitare non sinunt; ita multo minus Fredegarius Scholasticus de Chlodouaeo verba faciens in incerto nos relinquit: *Legatos, inquit, ad Gundebaldum dirigit, petens, ut Crotechildem neptem suam in coniugium sociandam traderet. Quod ille denegare metuens et sperans amicitiam cum Clodouaeo inire, eam se daturam spondet. Legati offerentes SOLIDVM et DENARIVM, ut MOSERAT Francorum, eam partibus Chlodouaei sponsant, placitum ad praesens petentes, ut ipsam ad coniugium traderet Chlodouaeo.* Quae quantitas fuerit solidi ac denarii primo obtutu non liquet. Vnde utilis perquisitio Wendelini habenda, quando eam rem in luce constituit. Clarissimus Eccardus in *Comment. ad leges Salicas* p. 12. una cum multis aliis auctoribus locum ex Hincmari Rhemensis vita S. Remigii adducit, vnde innotescit, in Francorum lege Salica solidum XL. denarios confecisse, ita ut solidus et denarius sint XLI. denarii. Quare denarii pretium elicendum, vt sic tota summa patefiat. Godefridus Wendelinus Canonicus Tornacensis, denarium Gallicum, seu Francicum quintam partem denarii Romani exaequasse prodit. Quod si est, habebimus sane, quod quaerimus, nempe denarium Francorum continuisse asses duos; si certum, Romanum constitisse assibus decem. Verum tamen sunt nonnulla, quae huic opinioni obducit doctissimus le Blanc in tractatu historico gallice exarato de *monetis Franciae* p. 7. Fridericum Gronouium de veteri pecunia modeste castigans. Ego solidum pro floreno aureo Rheni habeo, qui Pipini ac Caroli M. aetate ratione mulatarum in argenteum transiisse videtur ob rationes



nes in Capitulari Pipini adductas, quas optime expendit laudatissimus *le Blanc*. Cae existimes, Pipinum solidos aliter cudi iussisse, ac eusi sunt primi: potius poenas mutauit, et vbi e. g. XL. denarii olim sunt soluti, ibi XX. leguntur exacti. Hic enim Rex Childericum folio excutientis singularem initio regni modestiam et indulgentiae peculiari famam affectauit.

§. XXII.

Vti vero primae nuptiae modico apud Francos numero contrahebantur; ita in secundis adacto pretio opus erat. Inde ortum barbarum verbum REIPVS: quod vnde descendat obscurum adhuc manet; Wendelino, Hertio, aliisque ignotum. Nouus legum Salicarum interpres semi francicum existimat; particulamque RE pro latina habet; IPHE vero, siue EFA, vel EVE, EVA EPHA legem eius sonat, seu matrimonium. In quo postremo minime fallitur. An vero particula RE ad Latium pertineat et lingua provincialem, subsisto. Reperio enim apud Gothos quoque RIKIS quod est *nous*. Vnde Reiphe, Riephe, Rieu, nouae nuptiae forent. Cui si addas PVS, novarum nuptiarum pretium nasceretur. *Büssen* significat bezahlen, *Buße* pretium: *Zubuß* aliaque eius generis in vulgus nota sunt. Quin vero ēē significet legem, *Eua*, *Eed*, *aithis* obligationem, *iussurandum*, *foedus*, nemo est paullo humanior, qui haesitet. Vetus testamentum vocatur a Strickerio in gestis Caroli M. die alte *Ee*. Nec nupera est opinio, Germanos, apud quos pacta iurisiurandi vim habent, non aliud ea propter nomen excogitasse. Digna lectu sunt, quae Melchior Goldastus in *animaduersionibus in Tyrolis Scotorum Regis paraeneses* ad Fridebrandum filium colligit p. 364. l.

§. XXIII.



§, XXIII.

Sed tempus est vt, nomine REIPVS cognito, quod perperam Morgengabam exprimere somniabat Godefri-dus Wendelinus, ipsius legis Salicae verba recitemus: *Si ut fieri afolet, homo moriens viduam dimiserit, et eam quis in coniugium voluerit accipere, antequam eam accipiat Tunginus, aut Centenarius mallum indicent, et in ipso mallo scutum habere debet, et tres homines vel cauſtas mandare. Et tunc ille, qui viduam accipere vult cum tribus testibus, qui approbare debent tres solidos aequa pensantes et denarium habere debet. Et hoc facto, si eis conuenit, viduam accipiat. Quae sequuntur, eo pertinent, vt mulcta sit exsoluenda propinquis, si aliter ac in lege dispositum, vidua mulier in matrimonium accipiatur.* Inde Germanicae glossae, quae Malbergia vocantur, REIPHVS AITH CHALA SINOS. Nominatis simus Eccardus aet chald trinus exculpit, vt trium solidorum compositionem stabiliat. Ego **Ehe Gelds-Sinung** innui existimo: quod sane verisimilius multo, quam si immutatio tot verborum praecipiatur, et ex SINVS, vel **Sühnung** trinus educatur. Ipsa enim verba §. II. subindicant, eum qui absque hac solennitate viduam duxerat LXII. solidos cum dimidio pendere propinquis debuisse. Erant enim secundae feminarum nuptiae admodum Germanis inuisae: quod ex Tacito constat: *Melius, inquit de M. G. cap. XIX. adhuc eae ciuitates, in quibus tantum VIRGINES nubunt, et cum spe votoque uxoris SEMEL transigitur. Sic VNVM accipiunt maritum, quomodo vnum corpus, VNAME vitam, nec VLLA cogitatio ultra, nec LONGIOR cupiditas: ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament.* Sic enim hunc Taciti locum lego, et interstinguo, prorsus adsentiens Hugoni Grotio, qui hic transpositionem vocum agnoscit, quando hoc modo in vulgaribus edi-tio-



tionibus legitur : *ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament.* Additque sapienter vir excellētis iudicii: *Interdictae erant apud quosdam Germanos regulos secundae nuptiae, vt discerent mulieres coniugium amare coniugis caussa, non coniugem coniugii caussa, siue ut personae, non rei affectus manciparetur.* Ex quo perspicue fortassis intelligitur, quare etiam maiori pretio fuerit emenda mulier ad votum secundum transiliens a propinquis et parentibus, in quorum potestatem recidebat. Interpres Hanoueranus hanc caussam aucti pretii reddit, *quia tanto maiori cum substantia in domum secundi mariti transiisset.* Quod improbabile nunc quidem redditur, postequam secundarum nuptiarum odium perspicue est detectum; eoque dicendum potius, reliquos duos solidos mulctae loco solui debuisse. Quod iterum paullo luculentius indicat, quare vocula *Buß* accreuerit verbo *RIEE*. Quin iam, et dum haec scribo, in eam opinionem ferme inclinor, uocabulum *REIPVS* forte a *poenitentia* eique imposta *mulcta* ita esse confictum. Quippe Teutonicae feminae votum unius mariti nuptiis finiebatur. A quo si recederet, is sane haud inique mulctam in lege dictam, vtut pro nostri saeculi diuitiis exigua, soluebat, qui mulierem a voto et proposito auertens nouos eidem amoris ignicu-
los iniecit.

§. XXIV.

Interea constat ex lege allegata, id, quod ante **HOSTES** apud Visigothos factum, apud Francos in iudicio, seu **PLACITO** fieri consueuisse, quod *scuto* ac militari modo utique erat celebrandum. Nascebantur inter arma Germani, crescebant, nubebant ac ducebant, viri erant, vxores, consenescebant, moriebantur.

D

§. XXV.

§. XXV.

Lex Saxonum cap. XXXVIII. paulo durior lege Salica inuenitur in pretio emptionis pro virginibus exigendo. *Vxorem dueturus, inquit, trecentos solidos det parentibus eius.* An Saxones forte tam in lauta ac bene aucta parte positi, tam diuites pecuniae, vt maiorem summam praescriberent vxores e gente sua querentibus? Et non arbitrer. Immo vero magis est, vt, nummorum copiam illis defuisse, penitus mihi persuadeam. Innuit hoc ipsa solidorum apud Saxones definitio, quorum valorem pecoribus et frumento videntur pensasse. Affero eam in rem notabilem locum ex Tit. XVIII. earundem Legum: *Solidus est duplex: Vnus habet duos tremisses, qui est bos anniculus XII. mensium, vel ouis cum agno: alter solidus tres semisses, id est bos sedecim mensium, vel ouis cum agno. Westfaliorum et Angrariorum et Oostfaliorum solidus est SECALIS sceffila XXX. hordei XL. auenae LX.* Vnde concluditur solido vni LX. modios auenae fuisse aequatos, hordei XL. tritici XXX. *Sceffilum est modius. Secalis significat triticum.* Vnde Gallorum Seigle: de quo conferendus Cangius in voce *Sigula.* Quae vt cunque sint, nondum tamen constat, quare Saxones carius vendiderint virgines suas. Iccirco putarem, Saxones feminas formosiores forte eo tempore visas, quae sane ditiores alliciunt, dignaeque censemur, quae propter egregiam oris speciem carius veneant, inque eas turba procorum tam ingentem summam licitantium irruat. In viduas feminas maius pretium non reperitur statutum; quod vtique indicio est, hanc apud nationem non adeo rigidum fuisse praeceptum, vt vxor esset VNIVIRA. Ceterum opinor, neque sic obstinatos egisse Saxones, neque corde adeo ferreo apparuisse, vt, cum deformes haberent filias, vel propinquas, ad quas haud facile adhinniunt iuuenes,

idem



idem semper pretium petierint. Potius credibile est, Da-
naum eos saepe imitatos, qui cum nancisci non posset, qui
filias eius sordidas ac incestu pollutas duceret, se *υδον αερι*
daturum potentibus promisit, quod et Getae, de quibus
Pomponius Mela, fecere, *mercede quaerentes, qui ad specie*
deformes et hircum suemque olentes haberent.

§. XXVI.

Enim vero circumspiciendum adhuc est, quid Lan-
gobardi et Burgundi, atque Allemanni denique hac parte
in vsu seruauerint: visuri postea, quae vestigia eius moris
apud alias gentes easque remotiores ac viciniores residua
mancerint.

§. XXVII.

Ac de Langobardis quidem, quos primum nomina-
uimus, Regis Rotharidis lex lib. I. cap. V. nos perspicue in-
struit: *Si quis pro muliere libera, aut puella mundium dederit*
et ei tradita fuerit, ad uxorem, postea quam maritus mortuus
fuerit, et contigerit, ut ipsa mulier ad alium maritum debeat
ambulare, aut ad parentes reuerti, aut ad curtem Regis, tunc
haeres mariti prioris accipiat medietatem de METHA, sicut
supra constitutum est, et ipsa per manum ei simili modo retradi-
tatur, sicuti priori marito tradita fuerit: nam aliter sine
traditione nullarum rerum dicimus subsistere firmitatem. A-
nimaduertunt omnes MVNDII ac METHAE hic fieri men-
tionem. Prioris vocabuli expositionem differimus haud
temere. De METHA vero tenendum omnino, id verbi si-
gnare pretium, donationem: quod non solum ab aliis iam
dudum; verum etiam a Cl. Eccardo in Comment. ad le-
gem Salicam p. 60. s. copiose firmatum est, ita ut plura
coaceruare non sit necesse. At istud adhuc latuit viros
doctissimos, ab oriente et Hebraeo idiomate hanc vocem
ad occidentales et septentrionales populos migrasse.

D 2

Et-

Etenim *Mathan* Hebraicis donum est: quod etiam in Sichemitae ad filios Iacobi sermone accurate a *mohar* distinguitur. Quare credibile sit, illam vocem, quia consuetudo mercandi vxores vniuersalis, in omnibus fere linguis esse retentam, quod supra de *éðous* Graecorum est iam insinuatum. *Tana* autem sonat mercede conducere. A participio *metane* procedit nostrum *Med*, *mede*, *Meed*, *Miete*, *mieten* ac Danorum *Miton*, Gothorum et Vlphilae *mizdo* inque Langobardorum legibus *Methium*, *Meta*. A *Tanna* est etiam Latinorum *donare*: cumque in eiusmodi locutionibus ac conductionibus, emptionibus et venditionibus confabulentur et loquantur inter se contrahentes, hinc factum cum acutissimo Thomassino opinor, ut *Tinna* in Pihel exprimat *confabulari*. Eodem pertinet Graecorum *μιθὸς*, *μιθέων*. Et quis dubitat, amplius etiam *μνησέων*, *desponsō* inde suos natales repetere; cum certum sit ab Aramicæ et Iapeticae linguae commixtione et inde iterum confecta consonantia omnes omnino Europæas linguas esse coortas. Quod ii demum bene intelligent, qui Campepii Vitrinae obseruationem I. lib. I *Obseruat.* *Sacrar.* cum cura sibi reddent familiarem. Illos vero, quibus comprehensu difficile est, quomodo initio litterula aliquando potuerit adiici, interponi in medio, tolli in fine et contra, parum his de rebus cogitasse intelligo; rogans propterea ne Salmasij labores de *Lingua Hellenistica* post habeant superbe; inque primis, quae is Tom. I. p. 59. seq. disputat. Et tum forte clarius cernent, qua ratione ex *Μιθέων* *μνησέων* potuerit enasci. Addo ex glossis Graecis, quas inspexit Sauaro Iureconsultus non ex triuio, sed praeclaris ad Sidonium Apollinarem commentationibus cognitissimus, etiam procos et sponsos appellatos esse tum *μνησίας*, tum *μνησίας*, hoc est, ementes.

§. XXVIII.



§. XXVIII.

Vtrum vero in dictis Langobardicis legibus pro *Metibium*, *META*, an vero *Meffium* cum Basilio Heroldo, aut *Miffium* legi debeat, nondum liquet. Interea si retinendum, Schilterus sane non coniicit male, illud *Meffium* seu *Miffium* exprimere *Mieth-Vieh*. Ex quo amplius concludo, perperam agere omnes, qui *METAM* pro *vſufructu* do-tis mulieri datae venditant. Est illa donatio certo sensu, est emptionis pretium, quod retinet vxor; de quo postea. Summa *METAE* apud Langobardos CCC. solidorum fuit, vti hoc colligitur e lib. II. tit. IV. §. 2.

§. XXIX.

De Burgundis, qui Vandalorum portio sunt, tanto minus est dubitandum, eos simili ratione vxores suas emisse, quanto certius constat, in earum lege pretium memorari, quod pro muliere sit datum. Ita enim tit. XXXIV. §. 2. legitur: *Si quis uxorem sine causa dimiserit, inferat ei alterum tantum, quantum pro PRETIО ipsius dederat: et mulctae nomine Solidos XII.* Si Agathiae Scholastico fides habenda, et Burgundiones ad Gothicam gentem referendi sunt: quos alii rectius pro Vandalis habent, nisi quidem Gothorum nationem in immensum pretendere cupiamus. Sed sufficit Procopii lib. I. Rer. Vandal. p. 92. Scriptoris insigni acumine praediti iudicium: *Gentes Gothicas et Vandalicas nomini-bus tantum inter se distingui; aliis in rebus non differre; immo et legibus iisdem vti, lingua vna, λευκοὶ ἀποντες τὰ σώματα τε εἰσὶ καὶ τὰς νόμους ξενιῶν εὐπάίρετε, καὶ αὐγαῖς τὰς, ὄψεις.* Quae satis probant, non alias Burgundis mores, quam Gothis fuisse. Omitto, quae de nuptiali pretio in triplum soluendo in rubrica *de raptu puellarum* occurunt, itemque de muliere ad secundas nuptias conuolante: quas Burgundiones quodammodo exosas habuere. Obseruauit enim in

D 3

Del-

Delphinatenibus institutis, Comitem tributum exegisse
ob secunda seminarum maritis orbarum vota: de quo e pu-
blicis regestis aliquid commemorat doctus Valbonasius in
Historia Delphinatus. Nec dubito, quin eorundem Comi-
tum ius, ne quis sine ipsorum consensu vxorem sumat, inde
profluxerit. Tales enim emptiones publica auctoritate
ac placito constituto siebant. Polluisse autem illos ea fa-
cilitate, ut matrimonia ciuium suo consensu firmarent, ite-
rum Valbonasius auctor est: quam consuetudinem tamen
nouis Delphinatensium legibus vtpote libertati matrimo-
niorum contrariam sublatam idem vir doctus animaduertit.

§. XXX.

Restant igitur Boioarii et Allemanni. In priorum legi-
bus nihil quidem distincti de *METHA & pretio nuptiali*
reperitur; sed est tamen coniecturis locus, vnde inferatur,
nec Boioarios ab hoc more abhorruisse. Quod enim in le-
ge scripta eius rei distinctam explicationem non obserua-
mus; inde prouenit forte, quod tota haec res quotidiano usu
omnium oculis subiecta, nec pueris amplius puellisque erat
obscura. Sed inde tamen potissimum confit, pretium con-
sueuisse pro virgine dari, quoniam puellae raptor non solum
XL. solidos mulctae loco fisco pendere, verum etiam ipsam
adhuc filiam a Parentibus simili XL. solidorum summa re-
dimere cogebaratur. Quod Tit. VII. Leg. Boioar. n. 6. inspi-
cienti patebit luculentius. Deinde in eodem titulo n. 15. ali-
quid occurrit de desponsatione legitima, vel quemadmo-
dum legislator loquitur, *sicut lex est;* quae quia sigillatim
non recitat, verisimile sane fit, illam a ceterarum Teuto-
nicarum Gentium more vix abiisse; vt taceam eodem loco
n. 14. praincipi, ut mulieri sine caufa dimissae soluat *dos* se-
cundum genealogiam suam legitime et quidquid illa de rebus
parentum ibi adduxit, omnia illi reddantur. Solum ambigu-
um



um manet , quid sit soluere dotem secundum genealogiam suam ? Ioannes Schilterus in exercitat . XXXVI. ad ff . §. LXX. tenebras hic agnoscit, et si nullam interea lucem adfundit. Ego vero vehementer decipiari, ni hoc sit soluere patri, in cuius potestatem redit, aut fratribus , aut propinquis, quorum sub tutela viuebat, perinde atque apud Romanos , ubi femina sub perpetua tutela agabat , quam primum matrimonii vinculum solueretur. Itaque dos erat pendenda proximis mulieris temere dimissae secundum geniculum parentelae, ut alio loco Salica lex loquitur. Simile quid de Graecorum viduis feminis, vel dimissis obseruat Salmasius de modis usurarum p. 169. seq. Quin nec penitus difforme est, quod lex Salica in pretio pro viduae nuptiis iteratis soluendo, Reipus dicto, statuit tit. XLVII. §. 2. 3. talemque genealogiam expressit vir doctissimus Ioann. Georg. Eccard. p. 87.

§. XXXI.

Sed videamus interea, quid Allemanniis hac in re obseruatum sit. Nolo coaceruare plura, quae ad rem non admundum faciunt, loca. Hinc vnum duntaxat e cap. LV. adduco: *Si quis liber mortuus fuerit, et relinquit uxorem sine filiis et filiabus et de illa haereditate exire voluerit et nubere alii sibi coaequali, sequatur eam DOS LEGITIMA et quidquid parentes eius legitime placitauerint, et quicquid de sede paterna secum attulit, omnia in potestate habeat auferendi, quodcunque non manducavit, aut non vendidit.* Rogo, ut legitimae dotis ratio habeatur: haec enim est illud nuptialis emptionis pretium, quod sequentia verba dilucidius reddunt: **DOTIS** enim legitima **XL. solidis** constat, aut in auro, aut in argento, aut in mancipiis, aut in qualicunque re, quam habet vir ad dandum. Retinui haud temere **XL. solidos**: et si aliqui codices **CCCC.** substituunt, nec cum Schiltero facio, qui prioribus postremam summam congruere opinatur. Etenim vereor, ut

in



in cap. LIV. ad quod digitum intendit vir doctus, eadem species occurrat. Ibi enim poena statuta est in eum, qui feminam sine parentum consensu duxit, ea interea, antequam maritus cum patre compositionem iniit, vitam cum morte commutante. Hoc casu marito in legem peccanti CCCC. solidi imponuntur mulctae loco patri praestandi. Dotis **LEGITIMA** vero ad tantam summam non excurrat, sed intra XL. solidorum limitem stetit. Idque inde potissimum probatur, quod reddita patri filia adhuc viua XL. solidi sunt exacti, Allemannica lege eodem loco hoc disertim definiente. Quod ad *περιοχημα* Germanorum aliarumque gentium intelligenda sufficiat: et si non deessent de Sinensibus, Turcis, Persis aliisque gentibus varia non spernenda, quae breuitatis studio silentio praeterire obstringimur. Sed hoc tamen omittere neutquam possumus, quod de Mingreliorum despensatione atque emptione memoriae prodit solertissimus Chardinus in Itinere Persico, Gallico idiomate consignato Tom. I. *Le Sacrement de Marriage, qu' ils appellent GORGHINI, se peut appeler en ce Pays, un contrat de vente, parce que les parens de la femme font marché avec celui qui la recherche, de la lui donner à certain prix, lequel est toujours bien plus grand pour une fille Vierge, que pour vne veuve.* Le marché étant conclu, l'homme se met par tous moyens à amasser ce dont il est conuenu. Il prend les Enfans de ses Vassaux, ou Tenanciers, lesquels sont non seulement ses Sujets, mais comme ses Esclaves. Il les mène vendre aux Turcs, afin d' avoir de quoi payer sa femme, laquelle demeure cependant toujours avec ses parens comme auparavant, mais où son futur Epoux a la liberté de l' aller voir de temps en tems; d' où il arrive quelque fois qu' elle est grosse avant les Epousailles. *Quand le mari a amassé ce qu' il a promis, le pere de l' Epouse prépare un festin solen-*



solennel, qui dure iusqu' au lendemain, où sont conviez ses parens et ses amis et ceux qui ont traité Mariage. L'Epoux, accompagné aussi de ses parens et de ses amis, y vient apporter ce qu'il a promis de donner pour avoir sa Maîtresse, qu'il déliure à son Pere, ou à ses parens les plus proches avant que de se mettre à table. Ils lui montrent en même tems le troussau qu'ils ont préparé pour l'Epousée, lequel est d'ordinaire équivalent au prix que l'Epoux donne pour avoir sa femme. Ce troussau consiste en meubles et utenciles de maison, en bétail, en habits, et en quelques Esclaves pour la servir ; mais appartiennent au mari, aussi bien que le reste, à la reserve des habits et joyaux de l'Epousée. Apres le souper, qui ne finit qu'aujour, l'Epouse accompagnée de ses plus proches parens, des Conviez, et des Amis, est menée chez son Epoux avec les dons que son Pere et ses Parens lui ont faits et à son Mari, selon leurs facultez. Ils font tout ce chemin en chantant, et en sonnant des instrumens. De reliquis orientalibus Indiaeque populis taceo, cum iam ab aliis haec sit occupata prouincia.

CAP. II.

COMPARATIO DONATI- ONVM SPONSALITIARVM, SEV EMPTIONVM ET DOTIVM DOTALITIORVMQVE.

§. I.

Difficillimum est, quod ordior explicandum, thema, cum a Doctoribus hac in re confundantur omnia, summaque imis misceantur. At cum pulchra sint, quae difficilia ; hinc nullus labor subterfugiendus,

E

nulli

nulli operae parcendum, sed etiam si iterum bona fide eretur; audendum tamen; nec popularis aurae detrimentum assis faciendum, quae eos duntaxat eleuat, qui vulgaria scribunt, et notissima denuo chartae illinunt. Nec audiendi, qui nihil quoque conjecturae internisceri cupiunt. Sunt enim huiusmodi homines aut inepti iudices, aut iniqui. Inepti, si in tanta rerum temporumque caligine, ac veterum linguarum obscuritate, in ritibus, in factis demonstrationes mathematicas exigant: iniqui vero, si, quod ipso praestare aliter nunquam possunt, a nobis postulent; et nulla nitendum conjectura, hoc est, in rebus facti nihil verisimilitudinis admittendum stolide iactent: ipsi idiotae, atque inscii antiquitatis omnis; vtut interea cruda ingenii commenta in vulgus spargunt, ac sine laudabili conjectura veritatem iactantes confusiores Lectores remittunt, quam, quum accesserunt, fuere. Igitur nec certa pronuntiabimus, quae hoc capite afferuntur, nec arbitraria, sed aequo vniuersa peritiorum iudicio subiicientes id agemus, vt, quod affirmatur, vel negatur et rationibus et auctorum testimoniosis, sicuti opus, confirmetur. Nam quae omnibus cognita, nec ab ullo facile impugnatur, tot munire suffragiis, non eruditii, sed frigidi sane et ieconi ac nondum maturi ingenii certissimum indicium praebet.

§. II.

Igitur praeponimus, dona Parentes et propinquos accepisse, quando filias, sorores, consanguineasque desponebant; cum amice hac in re vniuersi et singuli conspirent nemoque repugnet. Verum an ea donatio, aut illud emptionis pretium dos fuerit, quam adulterit maritus futurae vxori, haecque ab ista minime sit distincta, hoc quaeritur, hocque illud pomum est, de quo certamus.

§. III.



§. III.

Neque vero non est fatendum, habere, qui hic donationes et dotes miscent, quod dicant. Rebecca inauræ et alia monilia pretiosa accepit per manus Parentis ac fratris, quibus illa offerebat seruus Abrahae, eaque munera a viris doctissimis pro *dote* habentur. Iacobus, qui nihil tum temporis opum habebat, cam à Labane vxorem peteret, socero loco *dotis* ipsi persoluendæ aliquot annis seruiebat. Chamor Sichemi pater *dotem* Iacobo eiusque filiis pollicebatur. Saul illa praeputia Philistæa *dotis* loco se accepturum adseuerabat. Graecorum aliarumque gentium ἀδελφα modo *dotis*, modo donationis, modo pretii, atque emptionis nomen ferebant: quod satis superque indicat, illa aequiparata semper *dotibus* fuisse. Quin orientales populi, apud quos hic ritus seruatur adhuc amplius, sponsæ praeter emptionis μιθωμαο nihil largiuntur: ut ne dicam, apud Tacitum munera, quae parentes probauerant, cum dote misceri. *Meta* ac dos Langobardis idem sonat: quid? quod inueterata opinio est, dotem aduluisse, atque emisse, seu donasse, penitus coincidere.

§. IV.

Sed salua res est, eritque certe, si per singula exempla euntes examini eadem paullo seueriori subiiciamus: visuri postea, quid inferendum inde, quidue de tota controuersia tenendum. Ac primo quidem facile permittimus, Eliezarum pretiosa secum ad Rebeccæ patrem aduluisse; quin perperam illi et illepede exprobrari largimur, quod de heri sui facultatibus et copiis, et lauta ac bene aucta parte magnifice quaëdam enuntiauerit. Satis enim constat, eum sese facili moribus, ac sponsalibus ritibus accommodasse; sed inde tamen vix consequitur, vt illæ inauræ ac κερυκήλος totam Rebeccæ dotem absoluissent. Vix enim paullulum



ingeniosior persuaderi sibi patietur, eam post obitum mari-
ti inde potuisse commode ali; ac multo minus vero credibi-
le sit, filios illa monilia et pretiosa detracturos matri, vt de
pretio inde redacto cibus potusque, vestimenta aliaque ei-
dem porrigerentur. Deinde abscisse nego, Sichemitam do-
na nuptialia, et dotem confudisse. Iam enim Perizonius vi-
dit, distingui utique et tanquam diuersa ac discrepantia in sa-
cra scriptura vtraque notari. Diserte enim posterius vo-
catur *matan* ac *mohar* prius. Iam sumo, eum, qui dotem
a donis distinguit, non credidisse vñquam, bina haec conue-
nire. Ex facto autem constat, Sichemitam separasse: vnde
cogendum, fuisse separata igitur. *Mohar* vero diuisio-
nem, missionem, seu dotem signat. Quid enim mulieris
dos a marito praestanda aliud est, quam portio illa a viri bo-
nis sciuncta, vnde alatur, et secundum conditionem suam vi-
tam sustenter? In primis cum viri haeres iure orientali ac He-
braeo marita non sit, neque e Parentum bonis, nisi ex beni-
gna eorum voluntate, accipiat quidquam. Quod vero de
Saule dicitur, eum praeputia Philistaeorum a Dauide petita
doti imputasse pro filia Michol sibi exsoluendae, non tam
caussae contra euntium inferuit, quam meae. Quis enim
persuadeat sibi, inde sustentandam aliquando regiam pu-
ellam futuramque vxorem Victoris id genus spoliis locu-
pletati? Ergo concludendum potius, praeter illa nuptia-
lia dona, quae emptionis ac iugalis promissionis futurae-
que spei tessera erant, amplius aliquid promittendum fu-
isse coniugi speratae et pactae. Quod plerosque in erro-
rem induxit, Rabbinorum traditio fuit, qui 1) emptione
seu pretio 2), libello dotis ac 3) coitu acquiri vxores scri-
pitant. Sed haec vero coniunctim totum nuptiale nego-
tium absoluunt, neutquam vero vel seorsum, vel si-
gillatim id efficiunt. Quare perinde mihi res sese habe-

re



re videtur, atque in modis ineundi nuptias apud Romanos, quos itidem non cepere viri licet eruditissimi, confarreationem saepe solam pro modo ineundi nuptias venditantes, quae duntaxat ritus fuit, et ad senatorias, seu patriciorum nuptias conglutinandas sequiori aevo, hoc est, Taciti aetate adhuc frequentatus; cum olim in plerorumque, immo omnium matrimonii firmandis adhiberetur. Vnde dicendum reor, nuptiale istud pretium dotis quidem nomine venisse, quam mos atque inolta gentium consuetudo legalem fecit; sed ita vero neutiquam exclusum fuisse libellum dotis, seu instrumentum litterarum scribente id notario, soluente sponso, aut etiam sponsae patre, qui simul instrumentum dotis sigillo confirmauit ac subscripsit consecratione praecedente. Ut ita arguam, locus Tobiae facit cap. VII. §. 15. inque primis Hebraica versio ad Iudaicos ritus magis composita, quam Paulus Fagius edidit. Adscribo latina verba, sicuti Henricus Hottingerus Henrici Tigurini nepos ad Godwini Mosem et Aaronem retulit: *Raguel dixit ad iuuenem: En fili mi, haec tibi desponsata esto, prout mos in Iuda et Israel est: Tu cum illa ad patrem tuum ibis. Mox conuocauit testes atque in illorum praesentia consecrauit. Scriperunt atque sigillarunt instrumentum dotis matrimonialis.* Mos autem in Israele fuit, vt primum emeretur sponsa, deinde ei solenni dotis libello prospiceretur: quo facto in domum deducebatur, in qua lecto geniali consenso, vna erant, ac poplo, quoq. veniebat primum femina operta, detracto virginalem demum pudorem deponebat. Ac neutiquam obscurum est, quanta summa fuerit promittenda ac pendenda futurae vxori. Diserte enim Iudei occasione legis, quae Deuteronomii XXII. de vitiatis inuenitur, produnt, virginis CC. denarios,



38 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

hoc est, L. sicos (*), ac mulieri viduae C. denarios, seu XXV. sicos debuisse persolui. Quae summa Godwino Lib. VI. cap. IV. in *Mose et Arone obseruante, radix vocata est, seu praecipua dotis pars; nec minor esse dos paterat; ut maior pro lubitu sponsi fuerit, etiam talentum auri.* Ad hanc praecipuam partem dotis etiam dona nuptialia a Parentibus saepe adiiciebantur, aliaque pro eorum benignitate, quae post diem nuptiarum ac veli detractionem mariti atque amicorum donis haud raro solebant augeri: de quibus postea. Iam enim satis est, dotis RADICEM, seu emptionis pretium a ceteris bonis, quae pro alimentis commodis relinquenda coniugi erant superstici, utique discrepasse.

§. V.

Apud Graecos, fateor, aliquid a moribus Hebraeorum diuersum occurrit; quod illi alia ratione feminis, quae maritos suos intempestiu morte amiserunt, prosperarent. Proximus enim ducere illas obstringebatur, aut, si nollet, et excusationibus quibusdam vteretur, ipsemet dotare, vt honestam nubendi conditionem inueniret, aut, certa quantitate aeris soluta, ad se ipsam alendum apta foret. Quod si filios haberet, etiam matri demensum illi praebere debebant, sed ita vt bonorum quorumcunque possessionem acciperent, et matri ipsius Domini fierent, hoc est, κύροι si quidem ipsimet ex ephebis excessissent: quod sicuti ex Harpocratiorne et Attica lege, quae apud Demosthenem extat, satis superque probauit eruditissimus Salmasius

(*) De hisce sicos vide, quae collegere clarissimi Viri Joannes Caspar Eisenach et Hadrianus Relandus, ille in disquisitione noua de ponderibus et mensuris veterum p. 56. hic dissertatione V. de nummis Samaritanis p. 190. seq.



matus de modo *Vsurarum* p. 164. seq. ita non est necesse, ut
hac in re simus copiosiores. Et virgo quippe, et mulier
in perpetua apud Graecos tutela erant, quam si elocabant,
non sane sine dote id faciebant fratres, et propinqui, ad
quos lege illa tuitio pertinebat. Ex quo infero, hinc igi-
tur caussam esse repetendam, quare praeter emptionis sum-
ma aut *edva* aliquando nihil a marito legatur vxori desti-
natum. Quod eo magis posterioribus saeculis videtur
cessasse, cum dotes darent filiabus suis Patres, fratresque.
Vnum ex veteri iure Graeco animaduerto adhuc amplius,
viros saepe vxores suas testamento amicis legasse, ac du-
cendas praecepsisse; etiam cum liberos haberent nondum
virilem aetatem indeptos. Quod Salmasius non solum,
sed et Samuel Petitus et Rossaeus eleganter docuere. Qui-
bus nos adiicimus, vsu venisse aliquando, ut viui nonnun-
quam mariti amicis relinquerent vxores suas: quod a So-
crate factum Diogenes Laertius, ac Tertullianus referunt,
non ut adulterae essent, sed ut in coniugio alterius vive-
rent. Idem apud Romanos Cato iunior, non autem Cen-
sor, vti male Tertullianus in Apologetico, imitatus est,
cum in Republica Romana diuertia in mores irreperent.
Quod ab aliis non intellectum opinacioni locum dedit, hanc
primiorum hominum bigam à lenocinii labe proxime
absuisse.

§. VI.

Apud Germanos vero tanquam certissimum est sta-
tuendum, munera et dotem pactitiam toto coelo fuisse di-
uersa. Tacitus equidem ita hac de re loquitur, vt dos
cum muneribus conuenire fere videatur, reprehensus
propterea a Salmasio de *Mod. Vsurar.* p. 146. qui tamen
rem non extricat. Ego Taciti narrationem recte se habe-
re existimo; Salmasiumque plura confundere animum
induco



40 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

induco. Est enim extra dubium collocandum, Germanos etiam illa munera, quae a sponso allata parentes probabant, dotem appellasse, dotem ex more, seu lege; sed quae prorsus a dote peculiari pacto vxori destinata et dictata differebat. Quod enim idem Tacitus subiicit, etiam sponsam marito futuro aliquid vicissim donasse, id sane dotis nomen neutquam obtinuit: quandoquidem armis framisque onera matrimonii vix sustentantur. Audiamus hunc scriptorem: *DOTEM, inquit, non vxor marito, sed vxori maritus affert. Intersunt parentes et propinquai ac MUNERA probant: MUNERA non ad delicias quaesita, cetera.* Salmasius hic omnia miscet et ex dote Germanica MORGENGABAM sculpit ac format: quod quam sit salsum, et *et rotov* capite sequenti innotescet.

§. VII.

Quare habendum, munera illa et pretia nuptialia a lege esse determinata: haecque dotis legitimae vice in obtruiisse, perinde ac erat apud Hebraeos. Non est necesse, ut sumمام more ac lege debitam noue indicemus; cum illud iam capite sit factum praecedenti idque ex variis Teutonicarum gentium statutis. At praeter illos solidos coemptionales alia adhuc dos ex pacto saepe obueniebat mulieri a morgengaba plane diuersa; eoque merito referuntur illi dotis libelli in Marculphi formulis inueniendi; qui cum Taciti aetate nondum essent visi, Germanis litterarum praefidia et secreta ignorantibus; hinc contigit, vt de dote ex moribus aliquid duntaxat commemoret Historicus, de dote pacta filens: in primis cum hac atque illac excurrerent Teutones sedibusque fixis nondum adsuerti ordinem paullisper negligerent. Vnde aliter longe euenit, cum regna acquirerent, et ciuitates suas



suas legibus solidioribus ac certioribus stabilirent. Quod ne gratis dixisse videar, diligenti cura ipsas leges Langobardorum, Boiorum aliorumque populorum circumspexi; inque illis nostram hanc distinctionem feliciter inueni. Quid enim hoc aliud est in Boiorum vetustis decretis tit. XIV. §. VII. n. 1. 2. 3. si hoc non est? *Quod si mater ad alias nuptias forte transferit, ea die usufructuariam portionem, quam de BONIS MARITI fuerit consecuta, filii inter reliquias res paternas, qui ex eo natim sunt coniugio, vindicabunt.* 2) Mater vero si habet proprias res, cum DOTE sua, quam per LEGEM habet, egrediatur. 3) et si ibi filios, nec filias generauit, post mortem eius omnia, quae de filiis suis detulit, ad ALIOS reuertantur. Lego illos pro aliis: vtut Lindenbrogius mendum retinuit. Deinde vero obseruandum existimo; et VSVS FRVCTVS PACTO destinati mentionem fieri, et DOTIS, quam habet per LEGEM.

§. VIII.

Postremam Langobardi metham appellant; de cuius retentione Rotharidis statuta simili modo disposuisse videntur Tit. XIV. lib. II. *Vidua, quae in domum patris aut fratri regressa est, habeat sibi in ante MORGINCAB et MIFFIO. Defaderfio autem i.e. quantum de alio dono, quando ad maritum ambulauit, pater aut frater ei dedit, mittat in confuso cum illis aliis sororibus.* Itaque MIFFIVM, aut potius METHIVM illa lege stabilita dos est, quam vna cum Morgengaba saluam et illibatam seruat femina. De vltima specie in sequentibus: de prima vero id omnino fixum esto, mulierem coniugalis illius pretii dominam esse factam, eque manibus parentum istud accepisse.

§. IX.

In Allemannica lege locus adhuc clarior cap. LV. ob-

F

ser-



seruatur: *Si quis liber mortuus fuerit, et relinquit uxorem sine filiis aut filiabus, et de illa haereditate exire voluerit, et nubere alii sibi coaequali, sequatur eam DOS LEGITIMA et quidquid parentes eius legitime placitauerint, et quidquid de sede paterna secum adulit, omnia in potestate auferendi, quodcumque non manducauit, aut non vendidit.* Nemo ambigat, per dotem legitimam intelligi illos solidos emptionales. Illico enim summa illius pretii nuptialis subiicitur, quam, quia indicaimus supra, non repetimus. Nemo etiam somniet, ad pacta Parentum pertinere haec verba: *Quidquid parentes eius legitime placitauerint.* Iam enim animaduersum est, peculiari *placito* conuocato debuisse enim uxores, hoc est, in iudicio scuto munito. De Francis res non eget probatione, eos pactitiam dotem a prima emptionis tessera ac rebus huiusmodi donatis secreuisse. Loquuntur hoc tot solennes libelli, qui plus vno solidio ac denario in vxoris usum ac fruitionem transcribunt.

§. X.

Ex quo satis constare puto, in quo demum dos Germanorum constiterit, tam quae est ex lege et moribus, quam quae peculiari conuentione a marito lecti sociae fuit destinata: ut inde pro conditione dignitatis suae vitam sustentaret. De qua posteriori specie in Romanorum iurisprudentia ne verbum occurrit. Ibi enim maritus accipiebat dotem, mulier vero ex regula inferebat; iterum receptura, quae in domum coniugis ad onera matrimonii ferenda portauit, si vinculum connubiale vel morte, vel diuortio esset solutum.

§. XI.

Enimuero dignum thema, quod singulari cura expendendum, nempe, an dotalitium, quod vocamus, hodiernum sit dos illa Germanorum vel legitima, vel ex pacto, vel mor-

morgengaba denique? Qui minus cauti sunt, actutum respondent, esse morgengabam: nescientes, quid proferant, quia rem ipsam nunquam ea, qua pars est, sollicitudine trutinarunt. Alii e contrario simili lapsu impingunt, quando doti Germanorum veteri parem efficiunt ex asse. Ut namque a posteriori incipiam, nostrum sane dotalitium dotem ponit Romanae consentaneam a muliere reapse illatam. Cuius praestatio nisi euidentibus signis argumentisque, aut patris testimonio, quod intuitu liberorum pro certissimo habetur, in luce constituatur, actum sane est de dotalitio, quod vel petit mater vel vidua vxor. Quocirca disquirendum est, quando haec noua iuris species, ac *utris* moralis sit producata, ac indies magis magisque perfecta, aut potius implicatior reddita? Ac primum quidem facile inuenietur, si, qua occasione in usum inter nobiles et ingenuos irreperint doles Romanae intelligatur. Notanter dico inter ingenuos et nobiles. Nam de libertabus, et ancillis, et inferioris populi faece iam quidem cura mihi nulla est, nec sermo ullus. Itaque quaestio haec facti ad historicos pertinet, qui suppetias adferre Iureconsultis hac parte possunt, si causas scire cupiant, nec sine caussis et cognitione originis vase disceptare de re sibi obscura illepedi contendant. Vnde in mente mihi venit, vxorem haud raro etiam vetustissimis Teutonum moribus Viro aliquid aduluisse.

§. XII.

Ipse Tacitus armorum meminit. Leges Langobardicae *faderfi* vocem saepe saepius legentibus ostendunt: quod verbi Schiltero pecus exprimere paternum videtur: quam opinionem inde forte verisimiliorem reddere licet, si *Be*, *Bieh*, pro alimonia, aut potius pro possessionibus, ac facultatibus adhiberi quisquam dixerit; ita ut PHADERFIVM, seu FADERFIVM idem sit, ac pa-



44 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

terna haereditas. At cum *erphe*, **Erbe** haereditatem sonet, superuacuam credunt permulti ampliorem ea de re discep-tationem ac curam. Saltem magni nominis Iureconsultus Sibrandus a Siccamo ad leges *Frisiorum* tit. 15. luculentiori operae repudium mittit, inque hac etymologia censet acquiescendum. Sed putem nihilominus, **Erbe**, seu *Erphe*, **Erve**, *erbi*, vti antiquitus scribebatur, vocaliam esse compositam, quae substantiae dominum significet. De priori dubitate nos vetat notissima vox **Herr**, cuius vetus orthographia **Er**, **Eren**, in vulgus nota. Haeres autem dominus est, ac herus quasi omnium possessionum ac facultatum a defuncto relictarum. **Ve**, seu *Phe*, *fe*, *fi* substantiam, ac copias, vnde alimenta et vita nobis, designat: quod iam alio loco in *Gundlingianis* parte I. euicimus ingeniosis *Stiernhielmii* laboribus potissimum adiuti. At enim etymologia cognita non statim ipsa res censenda foret detecta; nisi ipsae leges *Langobardiae* commode nobis auxilio venientes **FADERFIVM** lib. II. Tit. XIV. luculenter describerent, quarum verba denuo sunt adducenda: De **FADERFIO**, inquiunt, *id est*, de *alio dono*, quantum pater aut frater dederit ei, quando ad maritum ambulauerit. Et alio loco **FADERPHIVM** appellatur, quod de parentibus suis adduxit.

§. XIII.

Quamuis vero aliis in consuetudinibus nomen **FADERPHII** vix occurrat, res ipsa tamen etiam apud ceteras Teutonicas gentes inuenitur. Minimum lex Alle-mannica cap. LIV. dotem legitimam et conuentionalem ab eo, quod *de sede paterna secum adduxit femina*, distinguit. In Boicalege vero non semel illius *substantiae a Parentibus acceptae* mentio fit; ita vt dubium amplius nullum nobis haereat, quin ad Saxones, Visigothos et Fran-cos



cos noua vxor aliquibus bonis ornata in mariti domum con-
cesserit; ac nulla fere vacua et ab omnibus opibus destituta
eo venerit. Non iam dispuo, quibus in rebus illa adducta
constiterint, an etiam GERADA ad hanc classem sit referen-
da, an monilia, inaures, pretiosa, cum nummati et ditiores
efficerentur Franci, aliique Teutonici populi: quamlibet
varia habereim hanc in rem notatu digna. Potius obseruasse
sufficiat, illationem eius generis bonorum pro dote eo tem-
pore haberi coepisse, cum Romanis legibus operam darent,
illaeque occasionem suppeditarent existimandi, congruere
hisce bonis de paterna domo aduectis dotis Romanae cele-
berimum nomen. In quo vtut errarunt ad vnum omnes;
non est tamen negandum, praeualuisse veritati errorem ac
sua sensim obliuiscientibus Germaniae incolis magnopere
imposuisse. Ipse Salmasius cum Taciti locum de muneribus
a femina adlati exponeret, dotein sibi finxisse videtur: vt
Choppinum praeteream, quem iam Schilterus hoc nomi-
ne reprehendit Exercit. ad ff. XXVI. §. LXXI. nec scio,
quomodo ab eodem errore, vel repugnantia, hac parte
liberari laudatus Salmasius possit. (vid. de Mod. Usur.
p. 145.)

§. XIV.

Memoratu magis dignum est, quod Iesuita Gabriel Da-
niel in Tom. I. hist. Franciae p. 156. animaduertit, nimirum, Pi-
pini ac Caroli Magni aevo inualuisse, vt quae sine dote ad ma-
ritum illustrem traduceretur, concubina videretur. Ita hi-
storicus Gallus Carolum Magnum defendit, cui tot a vetu-
stis auctoribus concubinae tribuuntur. Has omnes ille pro
veris vxoribus habet, sed aut illustri genere, aut dote defe-
ctis. Quod et de Richildi existimat Caroli Calui coniuge
secunda, quam post Irmentrudem in torum adscivit, ac si-
gnatis demum tabulis, vti Bertiniani annales memorant,



46 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

vxorem solennem declarauit. Quod si verum est, certius sane intelligitur, quare in dote constituenda, quam dotalitium posterior aetas dixit, etiam dotis a sponsa adlatae ratio sit habita. Hinc enim factum, ut in solitudine manentibus duplex portio fructuum, seu ysurarum, seu census adsignaretur, nempe vna pro dote feminea, quam, si manerent in casa mariti defuncti, non receperet; altera pro maritali. Censum appello fructuum, aut pecuniae pensionem; cum deprehendam, etiam Langobardos illius generis canonem, aut praestationem *Litolab* nominasse. *Lito*, *Leod*, *Leud*, *Losung*, *Losung*, pensionem signat corpori, (*Leib*) seu personae dictam, atque vxori destinatam. Cui denominationi respondent *Leibgeding*, *Leibzucht*, *Wittemund*, (*) *Wittum*, ac secundum quorundam opinionem, *MUNDIVM*: quod postremum vocabulum ambiguæ tamen significationis est, sicuti iam Schilterus l. c. et Cangius bene obseruarunt; ostendeturque aliquando a me copiosius, latere hie aliquid, quod nondum, etiam a viris doctissimis, est animaduersum. Inter ea prorsus falsi sunt, nec audiendi vñquam et vsquam, qui hic donationem propter nuptias somniant genuinam: tametsi infra demonstrabitur, ab imperitis patriarcharum rerum id erroris esse commissum, cum propter commixtionem iuris peregrini et domestici obliuione sere delerent vetera instituta: insci ignarique, quid in foro occurreret patrio, ac de quo disponerent, ac pacta inirent ipsimet.

§. XV.

Quare sic incedendum: Munera Teutonicarum feminarum olim exilia admodum fuisse, quibus nouos maritos bearunt; adeo ut ineptum visum sit, in pactitia do-

(*) Etiam de hoc nomine dubito, an semper dotalitium signauerit?



te constituenda in peregrinum eiusmodi incrementum oculos coniicere, atque ut viueret aliquando vxor, de maiori summa destinanda non cogitare, quam adulit ipsa. Vnde satis liquet, quam ob rem solus maritus absolute prospexerit vxori vacua manu aduentanti, idque, quod ei benigne impertivit, *nat' ἐξοχὴν DOTEM dixerit.* Ex facto vero, de quo Tacitus testatur, constat, aliquid tantum armorum de paternis laribus secum asportasse filiam sponsam offerendum futuro marito: qui sane de pensandis hisce minutis sollicitum se gerere solebat.

§. XII.

E contrario Galli, quibus maior diuitiarum atque opum cumulus etiam Caesaris aetate, quibus mitius coelum et clima benignius contigit, qui mercaturam facientes aurum et argentum optime cognoverant, prorsus alter, atque egeni ac barbari Germani, rationes inire poterant. Non puto aliquem tam obesae naris futurum, qui Gallorum diuitias mihi sit negaturus; nisi quidem Caesaris de bello Gallico Commentarios non legerit: cum quotam vtpote idiota in arenam descendendum minime reor. Habebant illi optime constitutas ciuitates, ordinem meliorem, lautiores redditus, pecuniam signatam ac mores propterea a Teutonicis paullo diuersos. Vnde inficias ire nolle, Caesarem recte fere hac parte de iis memoriae prodere Lib. VI. de B. G. cap. XIX. *Viri quantas PE-CVNIAS ab vxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta, cum DOTIBVS communica-*

Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur, fru-

ctusque seruantur. Vter eorum vita superarit; ad eum pars

vtriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit. Etsi

vero pecuniam proprie sic dictam Gallis minime abiudicamus; non ita tamen adstricte hoc loco Caesaris verba

inter-



48 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

interpretamur, solum ut aes signatum hac ille voce intellexerit. Scimus enim Romanos et corpora et iura, et factum et infectum argentum eo verbo comprehendisse. Duntaxat in eo deceptus videtur Caesar, quod seminarum pecunias **DOTEM** stilo Romano dixerit. Neque enim Gallicae mulieres Viro tulere dotem. Deinde commonefaciendi sunt, qui Caesaris verba perfunctorie forte legunt, ut ne fructuum collectionem adeo crude censeant exponendam. Adnotabant illi, quantum lucrificere in communionem collatis bonis suis: quod lucrum cum utraque parte is demum in loculos suos referebat, qui vita superauerat. Erat hic quaedam communio ex pacto; iurareunque, de hac, non autem de alia specie Vlpianum respondisse, quando de Gallorum **PECVLIO** verba facit.

1.9. §.3. ff. de iure dotium: **CETERVM** si res dentur in ea, quae Graeci parapherna dicunt, quaeque **GALLI PECVLIVM** appellant, videamus, an statim efficiantur mariti? Et puto si sic dentur, ut eius fiant effici mariti. Quod Galli Vlpiani aetate peculium vocabant, id Caesar pecunias appellat, quas e domo paterna secum aduehebant vxores. Vlpianus illud cum paraphernis (an bene? †) comparat; cumque non ignoraret, ad maritos illius peculii proprietatem illico minime deferri, sed in communi manere, adiecit, pacto expresso contrarium euenire posse. Galli quippe pactis stabant, perinde ac Germani, quos Strabo Geographus Gallorum fratres appellatos tradit, neque hac

(†) Non puto, bene sic locutum Vlpianum. Nam cum nec Galli habuerint dotes, sicut Romani ac Graeci; idecirco frustra iis παρεφέγγια tribuuntur. Sed ferendus est Iureconsultus Romanis notionibus adsuetus: modo rem intelligamus.



hac parte Romani iuris ars aliquid remorae iniiciebat. Ea ratione ego Vlpianum Caesari concilio: vtut ceteroquin obscurum mihi non est, pro *Galli* aliquos legere *alii*; immo Menagium in Amoenitat. Iuris Civilis cap. III. de Gallis Cisalpinis Vlpiano memorata exponere, qui latine loquebantur, sed plerasque voces Romanas aliter, atque Romani usurpabant. Interea exploratum, Caesarem ad donationes propter nuptias, quales Iustiniani saeculo fure, respicere nequiusse: quandoquidem hic demum Imperator donationes propter nuptias ratione quantitatis dotibus exaequandas censuit. Igitur de quadam communitate eundem loqui probabilissimum censi debet: in primis cum bonorum communio gentibus borealibus frequentata magis nota sit, quam sua domus cuique.

§. XVII.

De quo sicuti acrius iam contendere nolumus; ita haud temere animaduertimus, potuisse apud Francos, a liosque Germanos *simili ratione* inualescere, vt, cum et hi ex paupertate, qua cum conflictabantur, emergerent, mulierum e paterna sede adlata bona pensanda statuerent, addita veteri dote a Maritis promitti solita. Ex quo forte est, quod duplo plus acceperit Teutonica vxor, quam ad maritalem focum depositus; dotis demum vocula in vsum irrepente, hisque a femina illatis bonis accommodata, sicuti vicissim dos, qua maritus vxori prospiciebat, dotalitii, immo donationis propter nuptias nomen induit. Clarius loquar, vt me omnes intelligent. Etenim animum induco, fecisse diuitias Germanis tandem obtingentes, vt ne vxores ad maritum amplius inopes, aut cum minutis donariis accederent, sed bene numma-

G tae,



50 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

tae, aut praediis possessionibusque (*) cumulatae limen mariti intrarent: quibus propterea largius prouidendum iudicabant viri Teutones ad *dotandas* mulieres ceteroquin *lege* obstricti. Vnde ad bona largiori manu sibi allata et pecuniam liberalius solutam coeptum respici. Qui mos eo maiora indeptus est incrementa, quo certius sibi **SEQUIORI AEO** persuaserant, mulierum pecunias Romanis dotibus esse similes, in quarum securitatem pignus esset constituendum doti par, lucrificiendum aliquando ab ea parte, quae alteram superuixisset. Atque inde est, quod dos a maritis promissa ac pendenda suo tempore donatione propter nuptias audiret, immo *dotalitium*, oppositum doti femineae, quae hoc sensu vetustis Germaniae colonis incognita fuerat, ut quibus vxores Φεγνη afferre solebant nullam. Dotalitium hocce *dotis pretium*, seu pensationem nominat Ioannes de Ianua in *Catholico*: de quo constat, eum ordinis S. Dominici monachum extitisse ac saeculo XIII. florentem inter Grammaticos nomen habuisse.

§. XVIII.

Sed tamen diu ante hoc tempus dotalitii nomen in Gallis innotuit: quod e canonibus Concilii Meldensis I. probant viri docti, inque primis Spelmannus in *Glossario Archaeologico*, quem exscripsere ceteri. Enimuero antiquius adhuc testimonium in charta Gorziensibus Monachis iuxta Metin ciuitatem a. 761. data occurrit, vbi Rex
Pipi

(*) Etiam ex Marculphi formulis intelligitur, inque primis XLVIII. seq. reciprocas coniugum donationes aliquando factas in villis, ac mansis, terris, domibus, utensilibus, ceteris. Quae obseruatio magis comprobat opinionem DANIELIS Iesuitae supra a nobis adductam.



Pipinus DOTALITII meminit, quo dotauerit ecclesiam in die, qua dedicata est: ut nunc taceam diploma inferius producendum, in quo idem vocis vsus, Ludouici Pii aevo in Italia obseruabitur. Ex quo liquere puto, dotalitium tum temporis nondum eum significatum induisse, quem habet hodie. Dos enim et dotalitium promiseue usurpabantur: quamuis non constet, hunc modum loquendi in Germanis statim frequentari coepisse. Saltem Henrici Aucupis et Ottonis M. Mathildae atque Edithae vxoribus prospicientium aliaeque chartae innumerae probant, dotis nomen retentum, aut aliam descriptionem fuisse adhibitam.

huius etenim eiusmodi est. A §. XIX.

Maiori circumspectione dignum est, huiusmodi dotes aliquando usque ad vitae finem, nonnunquam proprio iure ita fuisse vxoribus relictas, ut pro lubitu talia bona alienandi, commutandi, donandi, vendendi facultatem acceperint. Habeo penes me documentum Giselberti, Lotharingiae Ducis, habeo Lotharii Regis Italiae tabulas nuptiales, quorum in primo Gerbergae, inque alteris Adelheidae Ottonis M. vxori secundae varia cum plenissimo dominio sunt concessa et tradita. Nec deest dotis libellus eiusdem Adelheidae Ottonis M. hoc est, secundi mariti auspiciis exaratus, qui sicuti a Frehero in originibus Palatinis exhibetur; ita medius in Gundlingianis part. XX. legitur; ac primus denique alio tempore integer publicabitur. Addo, Henricum II. sancti elogio clarum simili modo Papaebergam cum suis accessionibus Coniugi Kunegundae in proprium destinasse; in qua ciuitate cum is Praefulem constituisse, eamque in ius noui Episcopatus transcripsisset, euenit, ut Kunegundae fratres in Regem insurgerent, inque primis Theodoricus Metensis Antistes. Tradit hoc Sigebertus Gembla-

G 2

censis



52 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

censis ad a. MV. simul ac *dotem* hanc Kunegundae **PATRIMONIVM** appellat. *Henricus*, inquit, *Imperator Babenbergensem Ecclesiam Episcopalis sedis honore sublimat, et, quia liberis carebat, eam omnium suarum rerum heredem facit.* Vnde *Deodericus Mettensem Episcopus, dolens DOTEM et PATRIMONIVM sororis suae Cunigundis Imperatricis delegari ab Imperatore Ecclesiae Babenbergeri, rebellat.* Solum nunc moneo, claris istud verbis exprimi debuisse, si vxor dotem sibi traditam plenissimi dominii iure deberet indipisci: secus si erat, cum vita sane desinebat utile dominium, quod *vsumfructum Germanicum merito appellant* Strauchius, Schilterus aliique. Atque obtainere istud etiam nunc in multis Galliae terris, consuetudines comprobant Parisienses, Senonenses, Altissiodorenses: quas in medium tulit *Ioannes Georgius Scherz* *dissert. de dotalitio*, monens probe, sine speciali conuentione dotalitium alioquin in feminae patrimonio non esse.

§. XX.

Verum tamen incertum adhuc manet, inquis, quando in Germania sit audita dotalitii vox, et frequenter usurpata, deinde quomodo et quare in compensationem dotis duplicata usura inualuerit, quid? quod quadruplicata? Quibus dubiis quo satisfiat, operae pretium est, ut subsistamus paullisper. Et putem, primum maxime Hohenstauffiorum Imperatorum saeculis euenisse. Tum enim id genus libelli occurrunt dotalitii nomen exprimentes. Ante hoc aeuum vero Galli, Angli, Belgae, Itali, Neapolitani, Siculi eo iam vocabulo, sicuti indicatum, frequenter sunt vti: a quibus tandem ad Germanos transiit. Honorius III. Pontifex Romanus dotalitii memoriam iniicit, in capit. 15. X. de foro competente, occasione Angliae Reginae, cui lis erat de dotalitio a Richardo

Cor



*Cor leonis dicto in partibus Galliae ipsi constituo; vt omit-
tam cetera in decretalibus loca vtpote scopo nostro vix ac-
commoda.*

§. XXI

Potius hoc dotalitium sicuti dos Germanica eum in finem constituebatur, vt vidua vxor inde pro dignitate vitam transfigere potis esset. Admodum enim decipiuntur, qui *vitalitium*, seu *vidualitium* (*) ab hoc *doario, do-*

(*) Vix ab indignatione me cohibui, cum legerem **VIDUA-
LITIVM** propterea a **DOTALITIO** videri distinguendum, quoniam et mulieres saepe maritis in solitudine manentibus apud Normannos et Aragonios terras et castra destinauerint, quae iis iterum fuissent adimenda, si ad secundas nuptias se se proripuissent. Quod profecto idem est, ac si quis praefracte negaret, dotem significare Germanis illam *proniſio-
nem*, seu alimenta commoda vxoribus dicata; quia et ecclesiae dotem haberent, et Graecorum et Romanorum vxores dotes adulifissent maritis. *Aḡḡw̄s̄ia* haec est *r̄ns dicavoic̄* insignis, et stupiditas fere veruecina, indicans simul, eius farinæ homines non nisi Lexica evoluere, ac sine iudicio nouas inde compilationes struere, ineptissimaruinque obseruationum aceruos cumulare. Quod sane genuini artificii nomen vix meretur, quo illustrentur obscura, separantur confusa, intricataque enodentur. Vnde deinceps fit, vt noua quotidie nomina afferantur, deinde paullulum explicentur atque iterum confundantur, et denique propter exiguum differentiam, quae nihil ad rem facit, in pristina caligine relinquantur, vt stultiores semper efficiantur, qui talia legunt, quam qui, cucurbitas int̄erea pingentes, legunt nihil. Sed

G 3 constat



54 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

tario, dotalitio separant. Gallorum vox *douariere*, quae
ναρ' ἐξοχὴν viduatam feminam signat, dissentientes in vi-
am reducere posset, etiamsi alia documenta deessent, quae
tamen non deficiunt. Carolus Cangius in artic. *supraui-
ta chartam Comitis Forei* a 1267. scriptam excitat, ex qua
suprauitae et *dotalitii* promiscua notio innotescit: ut ta-
ceam, quae Germanis frequentantur nomina, *Wittum*,
Wittwen-Sitz, *Wittwen-Stuhl*, *Bersorgung*: ne in
re clara praeter necessitatem copiosi simus. Ab hoc ne-
gotio et voce *widmen* Germanorum *Wittib*, *Wittwe*
nomen habet, sicut Gallorum *DOVARIERE* a *Duario*,
seu *Doario*, aut dotario.

§. XXII.

In quo si perstisset Iureconsulti ac veteres scribae,
tanta caligo huic rei non esset inducta. At cum Pontifex,
glossa aliique compilatores tales conuentiones atque id ge-
nus dotes, seu dotalitia vxoribus ad vitam digne sustentan-
dam destinata **DONATIONES PROPTER NVPTIAS** in-
caute appellassent, iterumque ab iis separassent, maximae
profecto tenebrae sunt obortae. Omnia quippe Germa-
nica et Francica instituta ad Romani iuris decempedam
exigebant peregrinae legis basiatores: in qua cum doti, seu
dotalitio Germanico similius vix inuenirent, quam dona-
tionem propter nuptias, hinc vsu videtur venisse, ut do-
talitium et donationem illam prorsus conuenire aliqui cen-
serent. Idque in causa est, quare aliquando *Widerle-
gung*, *Widerlage*, *Gegen-Berimächtnis* appelletur.

§. XXIII.

constat de cetero, Cangium cum iis tam subtilis ingenii por-
tiunculam communicasse in voce *vidualitii* e Normanniae et
Aragoniae chartis talia adnotantem.



§. XXIII.

Haud temere adieci, *aliquos* in hunc errorem incidisse, non omnes. Constat namque, quosdam ab hac iterum denominatione recessisse, et *vitalitia* ac *dotalitia*, *Wittume*, *Verweisungen*, ab eiusmodi donationibus propter nuptias sedulo secreuisse. Etsi enim in diplomate Alberti I. Imperatoris dotalitium per donationem propter nuptias exponitur, quod Blancae Philippi pulchri sorori dicauit Austriacus Imperator pro Rudolpho filio, quemadmodum id Tom.I.Codicis diplom. p.43. celeberrimus Leibnitius exhibet; tamen charta Rudolfi Palatini in fauorem Mathildae, seu Mezzae Nassouiae, Adolphi Regis filiae, conscripta tria haec, 1) *Widerlegung* 2) *Widem* et 3) *Morgengab* distinguunt. Integrae litterae apud Gewoldum in Antithesi ad Marquardum Freherum reperiuntur. Henricus Raspe vero vxori Brabantinae in dotem destinata non nisi donationis propter nuptias titulo insignit. Adscribo breuissimum illum libellum e Butkenii tropaeis Brabantiae; *Henricus DEI gratia Lantgrauius Thuringiae Comes, Palatinus Saxoniae et Dominus Hassiae, omnibus etc. quod nos dilectissimae nobis uxori nostrae Beatrici filiae Principis illustris Ducis Brabantiae dedimus donatione propter nuptias bona subscripta; Castrum Nauenburg, Oppidum Sangerhusen, Castrum Erkenhaldesberge, Oppidum Gotha, districtum Bergere, etc. Datum Crureburch (*) anno MCCXI. sexto idus Martii. Quae aliaeque innumerae eo tandem nos deducunt chartae, ut, quid in dotalitium recentiori aeuo inualescens sit compactum, perspicue videamus.*

§. XXIV.

Nam cum dotem femineam donatione propter nuptias

(*) Est hic mendum; nec dubiam, quin Cruceburg (Erenburg) hoc sub vocabulo lateat.



56 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

ptias censerent pensandam, atque vtraque summa pignore indigeret, nec viri dotis mulieri ab antiquo constitui solitae immemores essent, sane duplum videtur enatum, ac certo sensu quadruplum annuorum reddituum, vel vsuarum; si dotem et donationem propter nuptias haeredibus mariti lucrificiendam relinquaret superstes vxor; nec repperteret vtrumque, hoc est, dotem suam et donationem propter nuptias, cui mariti dos inerat. Colligo hoc e libello dotali, quem Azo VI. Marchio Estensis Alisiam Rainaldo Principe Antiocheno natam ducens, a. 1203. Friderico Ahenobarbo imperante conscribi curauit. Affero illum ex parte, si cuti Antonius Muratorius, Historicus huius aeui excellensissimus in antiquitatibus Estensibus, libro eruditio et accurato Tom. I. cap. XXXIX. p. 381. exhibuit: *In nomine Domini. Anno a nativitate eiusdem MCCIII. Indictione septima, die Sabbati, qui fuit Octauus exeunte Februario, in Prouincia dicta Forumiulli, in Ecclesia Sancte Marie de Clemena in praesentia Domini Pelegrini DEi gratia Sancte Aquilegientis Ecclesie Patriarche, Vberti Dei gratia Vincentini Episcopi, Mathei Dei gratia Cenetenis Episcopi, Hermani, Waltonis, Bertholdi, Stephani Capellanorum, et Scribarum superscripti Domini Patriarche, Alberici Canonici Paduani, Alberti Canonici Vincentini, Manfredi Estensis Archipresbiteri; in presentia quoque Domini Wecilonis quondam Gabrie lis de Camino, Warnerii de Pulcraro, Frederici de Cauriaga, Diatrichi de Fontana bona, Frederici de Pito, Ottolini de Mainardis de Ferraria, et aliorum quamplurium Baronum et Magnatum Lonbardie, et Marchie Taruisine, atque Foriulii. Ibi warentauit et professus fuit Dominus Azo Estensis Marchio, se accepisse in dotem a Domina Aliz filia quondam Rainaldi Principis Antiocheni, quam in matrimonio sibi recipiebat, duo millia Marcharum argenti, de quibus exceptioni,*
sue



sive prescriptioni non numerate, vel extimatae dotis, aut pecuniae renunciauit. Vnde IVRE PIGNORIS ET DONATIONIS PROPTER NVPTIAS inuestiuit suprascriptam Dominam Aliz sponsam suam nominatiue de tantis suis bonis, et possessionibus, et immobilibus, ubicumque habeat, vel acquiri debeat, in electionem ipsius Domine, recipiendo, que valeant DVPLVM SVPRASCRIPTE DOTIS ET DONATIONIS. Et tali quidem pacto inter eos inserto etc.

§. XXV.

Comprehendunt mediocriter docti, Friderico Barbarossa regnante, hoc instrumentum dotale esse literis consignatum; neque simplicem donationem propter nuptias Romano more celebratam in illo inueniri. Eam enim doti aequalem constitui in vulgus cognitum est; hic vero duplum dotis et donationis propter nuptias cernitur; non *ειρηθεγα*, aut dotis pignus, eiusque pensatio simplex, aut quantitas doti aequalis. Igitur aliquid amplius obseruatur, quod ex iure Romano neutiquam fluit, neque conueniens est illi. Nihil quoque in instrumento dicto occurrit, quod ad parapherna referri queat, aut aliud negotium Quiritibus proprium. Quocirca relinquitur, ut dos Langobardica, seu Germanica duplo huic eiusque aestimatio videatur inclusa. Marchiones Estenses namque se lege viuere Langobardica saepe saepius sunt professi. Langobardi autem feminas suas dotare consueuerunt; simulque mature, post regnum suum destructum, Romanae legi quadantenus locum dedere: quae mea in re tam intricata opinio est, quam propterea summatim complector, ut dotalitii hodierni noua forma lucidius expressa ab omnibus cognoscatur. Igitur dotem conuentionis, aio, a muniberibus, seu emptionis pretio semper fuisse diuersam: et hanc vero maritum constituisse

H

vxor,



58 CAP. II. COMPARATIO DONATIONVM

vxori, *dotalitium*, *doarium*, *dotarium* Francis, Langobardis et Italies dictam: donec donationi propter nuptias iudicaretur similis. Quo facto simulatque ad dotem veterem a viris praestandam respectu habito, duplum dotis et donationis propter nuptias emersisse denique certissimum habeo: sicuti et Saxonici Doctores quadantenus hoc innuunt, inque primis Daniel Mollerus in suis ad Constitutiones Augusti Commentariis. Quod luculentius paululum docere possem, si tempus ac dissertationis modus id permitterent.

§. XXVI.

Sat est, liquere hinc, commixtionem domestici et Romani iuris omnem difficultatem peperisse: quam varie adauxere pacta adiecta, quae neque ad naturam dotis Germanicae pertinent, neque tanquam norma interpretandis huiusmodi rebus sunt adhibenda. Vnde ingens iterum Doctorum lapsio, qui dotalitium germanice **Ge-
gen-Vermächtniß, Wiederlage, Wiederlegung** reddunt, et dotem vetustam Teutonum inde penitus separant, rati publicis in litteris atque instrumentis dotalitii vocem hac ratione exponi coque talem expositionem omni in postrem dubio caritaram. In quo certe tam illiberaliter argumentantur, quam si veterum etymologias in medium adlatas pro certissimis venditarent, aut Varroni prodita in oraculorum classem referenda statuerent, aut denique Morgengabam aliaque eodem nomine efferrent, quia non deest antiquiorum chartarum seges, in quibus talis descriptio apparet. Potius verisimillimum est, ipsos illos medii aeui scriptores vetera ac sua ignorasse; et dum aliquid similitudinis in Romanis inuentis obseruarent, nouis commentis ac moralibus notionibus componendis locum dedisse, ita, vt Delio nunc natatore opus sit, si quis in



in profundo delitescentes mores nostros extrahere, extractosque iterum ab adiectionibus, infarctionibus ac sorribus ignarissimorum hominum separare contendat: quod etiam illustris Cocceius de dotalitio in *Iurisprudentia publica* verba faciens bene deprehendit. Semper enim Iuris nouioris architecti, vbi aliquid de legibus Romanis rescierunt, nostra quoque instituta, vtut perperam, quaefuerit. Eo refero conatum illorum, remedium nuptiale, cuius in *l. fin. pr. C. de donationibus ante nuptias* mentio fit, pro synonymo dotalitii venditantium. Est hic modus loquendi nimium vagus, qui et doti, et donationi propter nuptias aliisque nuptialibus accommodari negotiis potest. De dotalitio nihil Imperatori in mentem venit; vtpote quod a donatione ante et propter nuptias vtiique differt: quidquid etiam mediae aetatis scriptores gar-riant, ac recentiores nonnulli temulentis fere similes ef- futiant.

§. XXVII.

Rectius meo illi iudicio fecissent, si necessitatem statuendae dotis apud Germanos penitassent primum, quae, praeter emptionis tesseram ac pretium vndique receptum, ex arbitrio decernebatur amplius, vel, nisi hoc arbitrium interuenisset, praemortuo forte marito, certa pars bonorum ab haeredibus erat praestanda, vnde vsumfructum haberet marito orba. Quo considerato facile ab iis percipi potuisset, detrectasse nonnunquam haeredes mariti huiusmodi praestationes, aut maritos quoque ex nimio ac caeco amore, posthabitis liberis ac filiis cum maximè, qui tamen genus propagare et nobiliter viuere debebant, immodicam fructuum quantitatem, aut posses-siones multas cum familiae detimento mulieribus saepe consecrassse: vnde definire quantitatem oportuit tandem.

H 2

Quae



Quae res fecit, ut in Francorum, Allemannorum ac Langobardorum legibus sit fixum determinatumque, quid exspectandum non solum a marito nobilis habeat vxor; sed et ab haeredibus, si forte ipse fuisse impeditus, ne datis libellum conficeret, exigere illa iure posset. Quae dispositiones ac leges ad vnam tandem euanuere omnes, postquam ad dotes ab vxoribus illatas in DOTALITIIS respici coeptum: remansitque pauxillum in oppidis inter ciuici ordinis personas ex illis moribus antiquis, quibus portiones statutariae demum sunt destinatae etiam nunc obtinentes. Atque hinc vsu venit, ut hodierni Iureconsulti acriter inter se disceptent, an illustres feminae, iure dotalitii relicto, ad portionem statutariam confugere possint? Quod aliqui negant, affirmant ceteri. Sed id iam non ago; vberiorem harum rerum considerationem ac disquisitionem alii loco et tempori reseruaturus.

C A P. III. DE MORGENGABA.

§. I.

SIcuti vero de dotalitio perperam multa a Doctoribus disputantur; ita haud scio, an in natura Morgengabae detegenda illi vel feliciores, vel saniores sint multum? Quotus enim quisque illud matutinum donum cum dote non confundit? Vnde dignum quaeri, quid tandem sit, et quomodo ab emptionis pretio, dote, seu dotalitio secernatur?

§. II.

Ac ponimus, nuptiale illud donum esse. Sed quemadmodum

dum non omne donum nuptiale sposalitia largitas est, nec dos; ita Morgengaba ad neutrum pertinet. Etymologia docet, mane dari ac nouae nuptiae post concensionem thalami repraesentari. *Morgencap*, *Morgengeua*, *Morgengaba*, *Morgengifta*, *Morganagiuta*, *matutinale donum* aliaque synonyma sunt. Res autem morales finibus suis differunt, quos qui circumspiciunt, in cognitionem veritatis certissime penetrant; cum e contrario ceteri a scopo non solum abludant, sed etiam maiori confusione fenestram aperiant, quia fines negligunt, ac deinde phantasmatibus sine consilio indulgent; Diis hominibusque inuitis leges maiorum torquentes, lacerantes, fingentes ac refingentes.

§. III.

Et supra vero non sine sollicitudine inculcaui, nullam fere gentem extitisse vñquam, quae statim in amplexus feminae censuerit irruendum, sine lege, ordine, ac stata ceremonia. Est enim nuptiale negotium difficultatibus multis obstructum et pensandum probe, nec sine cura inchoandum, nec sine attentione perficiendum. Hinc apud omnes nationes paullulum cultiores primum de persona sibi firmiter acquirenda consilia agitant, atque arrhis eam et muneribus vinciendam statuunt; deinde delectae et legitime acquitiae de futuris alimentis prouident; ac denique in domum deductam ac consortii sui reapse participem factam novo vinculo sibi obstringere adlaborant; quod certius profecto ac commodius fieri vix potest, quam bonorum addictione et condonatione, muneribusque largioribus, vt quibus ipsum placari Iouem fama est, fuitque.

§. IV.

Itaque fere vndique locorum aliquid rei, quam explicamus, simile inuenitur. Ipsi Hebraei posteaquam velamen detraxissent nouae nuptiae, quod subiectionis suetum signum erat;

H 3.



erat; eaque conspiciendam se viro amicisque praebuisset,
thalami consors facta, munera ei serebant; inque primis
nouus maritus id agebat, vt, quod in dotis libello pollicitus,
illoco quodammodo effectui daret. Nam et alimenta et
vestes, et quidquid necessarium vxori solenni scriptura
promittere solebat. Quare vix mirum, si ab hisce bene-
volentiae signis initium fieret, ac socius sociae familiarita-
tem coeptam, ad quam se parentes et amici aggregabant,
nouo liberalitatis symbolo firmaret. Qua de re cum nos
dubitare non finant Iudaicorum Doctorum testimonia,
quae largiter adduxit honos Britanniae IOANNES SEL-
DENVS in vxore hebraica; hinc nobis hoc loco breuiori
licet opera defungi. Illud silendum non est, per septi-
daum coniuia nuptialia apud Hebreos durasse; quo va-
riis laetitiae modis ac signis animum exhilarabant. Augeri
illud tempus in nuptiis virginum poterat, coarctari nun-
quam. Vnde Leoni Mutinensi, qui de *ceremoniis Iudeorum*
scripsit, cum grano salis fides est tribuenda, qui prima die
post coenam munera adlata scribit. De hodiernis enim
ille moribus loquitur, ac ne septidui quidem mentionem
facit: de quo interea aliunde certiores reddimur, nempe
ex ipsa scriptura sacra Genesios XXIX. et Iudic. XIV.
Ceterum non recordor, pudicitiae, seu virginitatis pretium
sigillatum occurrere. Quidquid accipiebat vxor, id aut
oblatum iam, aut in dotis libello vel generatim, vel spe-
ciatum erat expressum; maritusque, si quid donaret, id
tane praestandum, hoc est, producendum post perfectas
nuptias censebat. Quocirca suspicor, armillis etiam
postridie lacertos ac brachia nouae nuptiae suisse ornata, in
signum certum, virginitati suae iuisse exsequias. Ut ita
sentiam, B. Cyprianus facit de *habitu virginum* p. m. 98. edit.
Bremens. qui puellas iis tesseris, quamdiu nondum essent

in



in thalamum ductae, voluit carere. Ex quo factum amplius hariolor, ut et apud Romanos armillae inter ornamenta muliebria referantur in armario vxorum reposita; non autem in virginali mundo essent: de quo plura congesit humanissimus Thomas Bartholinus de *armillis veterum* p. 81. seq. Vxorū enim est eius generis monilibus ornari, ut viris placeant, non autem virginum, quas quaerī conuenit, non ut ipsaem, inter multa vanitatis insignia, quaerant viros. Idque veterum Hebraeorum sanctimoniae congruit, quam primi merito imitabantur Christiani.

§. V.

Apud Graecos vero *ανακαλυπτήις*, (*) *ἐπάντασ*, Θεόητραι, οὐρῆιαι aliaque nota sunt, quae a Morgengaba nostra non admodum abludunt. Animaduertit hoc suo iam tempore Iureconsultus praeclarissimus Scipio Gentilis, Academiae Altdorfinae decus lib. II. de *donationibus inter virum et uxorem* cap. XXIII. p. 237. Addimus peculiarem, hoc est, tertium post nuptias diem *ἀνακαλυπτηρίων* esse dictum, quo sponsa se videndam praebebat in publico: isque mos ad ultima usque Graeciae tempora durauit. Ea igitur luce nouae nuptiae dona ferebantur a viro et cognatis. Habet haec Harpocration, a quo sua descriptio compilator Suidas in voce *ἀνακαλυπτηρίων*. Tum enim amoto flammeo et ita detecto primum vultu a propinquis et viro palam conspiciebatur deuirginata. Nec existimandum, iocalia duntaxat, ac puerilibus crepundiis consentanea in hanc largitionem venisse: quippe memoriae Plutar-

(*) Mylerus ab Ehrenbach in *gamalogia ανακαλυψήρια* mendose nominat; quem fideliter descripsere ceteri, non nominantes erroris sui auctorem.



tarchus in Timoleonte prodit, Siciliam Proserpinae pro tali munere in nuptiis datam, τὴν νῆσον ἐν τοῖς γάμοις ἀνακαλυπτησίων αὐτῇ δοθῆνει. Ezechiel Spanhemius vero ex Eu phorione veteres Grammaticos, inquit, ad Euripidis Phoeniss. v. 688. obseruasse, δοθῆναι γὰς τὰς Θήβας τῇ Περσεφόνῃ ὑπὸ τῆς Δίὸς ἀνακαλυπτήσας, datas a Ioue Thebas Proserpinae pro nuptiali detecti veli dono. Quibus vir eminentissimae doctrinae alia adiicit ex Philostrato in primis et Aeschyllo luctulentius illa ἀνακαλυπτήσας illustrantia. Ὁπτήσια laxiori significatu cognita sunt: ut aliquando de nuptialibus donis adhibent veteres, etiam ipse Pollux cum Hesychio. Sed primarium tamen eius usum a plerisque praetermissum monet idem laudatissimus Spanhemius de dono natali nato et viso primum infantia propinquis dari solito. Quocirca tota obseruatio ad Callimachi hymnum in Dianam dignissima lectu est p. 179. seq.

§. VI.

De ἐπαυλίοις dubitat Salmasius de Modis Vsurarum; sint ne huc referenda. Sed Suidam is forte cum cura non legit: alioquin obseruasset, Patrem non solum nouae maritae munera cum pompa ferenda iussisse, sed ipsum quoque virum eo nomine, quod in domo ipsius mansisset, beneficium ac liberalem sese praebuisse. Ἔπαυλις domum sonat, ut recte, quem excitauiimus, Suidas. Solum quaestio remanet, an tertio nuptiarum die? de quo ut discepimus longius, operae pretium nunc quidem vix videatur.

§. VII.

De Θεωρίᾳ omnes consentiunt, id vocabuli adhibitum postremis Graeciae temporibus, ut ἀνακαλυπτήσον exprimeret, et munus signaret in thalamum deductae re praesentatum: quandoquidem non amplius per velamina ad-



adspiciebatur, sed palam fese et marito et propinquis vi-sendam praebebat. Salmasius omnia illa dona cum do-nationibus propter nuptias confundit. Nam et si propter nuptias ista sunt recens nuptae exhibita; minime tamen consequitur, ut quidquid nuptiale est, sit donatio propter nuptias Romana. Quocunque se vertat vir erudi-tus, captus erit. Etenim si donationem Romanam sumit, prout erat ante Iustiniani aeum, sane nuptias debuissent praecedere ἀναλυττία; cui tamen ipsa etymologia τὸν αναλυττόν aduersatur. Sin vero illam donationem mente concipit, sicut Iustinianus eam informauit, ite-rum hallucinatur, quia in proprium donata maritae ce-debant; non autem illa ἀντιφέρων Iustiniane, quippe quaē pignus erant in securitatem dotis seu φερῆς constituta non nisi peculiari dispositione lucranda. Incidit hic Salmasius in easdem insidias, in quas fese praecipitarunt inepti glossarum confectiones ius domesticum cum Roma-no turpiter miscentes.

§. VIII.

Quare magis ad rhombum faciunt comicorum Grae-corum διπλοθένα hoc est, διὰ τὴν παρθενίαν ἀφελέθη, quae ipse nouus maritus sponsae offerebat tanquam preti-um virginitatis, cuius ille spolia retulisset. Quamlibet enim non putem, *Morgengabam* ob deceptam virginita-tem semper dari consueuisse; tamen sufficit, quod post arctissimum vtriusque coniugis consortium ac thalami, vt Apuleius loquitur, rudimentum, et illa saepius censi-debit amissa: de qua re copiosius infra.

§. IX.

Vnde vix reprehendi Scipio Gentilis debet, qui eo quoque illud munus pertinere existimat, *quod prima pro nocte datur*, cuius Iuuinalis meminit *Sat. VI. v. 204.* Diffe-runt



runt talia perexigua ratione: quamuis vix etiam consequatur, vt permolere, ac perforare debuerit nouus maritus Romanus sponsam in domum deductam. Sat est, societatem vitae sic fuisse contractam, dum in torum-adsumta ac *rerum humanarum ac diuinarum* particeps facta mulier. Rogo, vt ne quis caperata fronte hanc locutionem circumspiciat; cum optime ostenderit *Animaduersiorum* lib. I. cap. VI. Perrenonius, quomodo id factum fuerit apud Romanos, qui aqua ignique accipiebant coniuges, et confarreatas saepe nuptias conglutinantes illas eo pacto, per deductionem in domum et thalamum, plenisime consummabant.

§. X.

Eodem igitur Romanorum REPOTTA refero, de quibus plurima haberem non inutilia; commemorasse sufficiat, patrem sponsi, in cuius domum traducta est nupta, postera nuptiarum die nurum, ac si sponsi propria domus esset, ipsum maritum nouum suam coniugem aliquibus muneribus ornasse: cuius exemplum consanguinei et amici sunt secuti. Obseruo, nummos quoque, in quibus sponsi sponsaeque vultus erant expressi, oblatos; nec suppuduisse ipsos Principes atque illustres viros, talibus repotis interfuisse. Saltem exempla Augusti et Caligulae notiora sunt, quam vt Suetonii testimonium sit adducendum; in primis cum varia a multis vndique legantur compilata: vtut nemo fere indicauit, quaré sponsam denuo maritus, vel eius pater muneribus affecerit: quod non solum necessarium, sed et scopo nostro magis congruens. Factum autem hoc illam ob caussam est, quod eo festo libertatem vxoriam auspicaretur mulier, claves acciperet, omniaque in domo perageret, quae verae lecti sociæ munia sunt, stabilienda et signanda propterea nouis



uis symbolis ac donis benevolentiam saceri amicitiamque mariti innuentibus. Animaduerto amplius, labi Brissonium ICtum alioquin primarium, quando statuit, in Aquitaniae regionibus secundum nuptiarum diem *Repentalia* nominari: quod quam sit falsum, Cangius probat in hac voce.

§. XI.

Id magis ambiguum, an Graecorum ὑπέβολον in hanc classem cooptandum sit, de quo multi vase, et sine iudicio differunt? Atque est vero exploratum, varia id vocabuli significasse. Vnde vix concludendum: ὑπέβολον respectu originis sónat adiectum; dotis meliorationem exprimit igitur. Immo vero dispiciendum primo, an plane ὑπέβολον fuerit dos a marito praestanda? Mea enim sententia græcca vox subiectum, seu adiectum verbo tenus significat; eoque factum reor, ut de omni, quod subiicitur, aut superiicitur, sit usurpatum. Hinc enim annulus quoque ὑπέβολον fuit dictus teste Suida, quia eo digitus conuestitur. Nec incognitum, etiam oppignoratum, seu pignus eo nomine venisse. Cui nihil obest, de iuridica significatione hoc loco sermonem esse, quae propterea e lureconsultorum penore sit promenda. Illoco enim regero, figendum ac determinandum videri primo, quod nam ius Graecum intelligent, Byzantiumne, an Graiorum vetustum? quid? quod indicandum, quo de saeculo verba faciant? quis Imperatorum intelligatur? qui lureconsulti loquantur? diabolares, an primarii? quam-ue periphrasis adiiciant denique? Quod si negligatur, tum certe unus de alliis, alter de ceteris disputat; ac modo, Salmasius vincit, modo Cuiacius, modo Harmenopulus modo veteres Comici triumphant. Ita certus sum, ὑπέβολος θεάσητον cum nostra morgengaba fere conuenire; deinde negabo rursus, congruere, si generale et multa comple-



ctens vocabulum aliis iterum rebus applicetur, atque certo loquendi genere circumscribatur. Quin permittam, aliquando istud ὑπόβολον etiam ἀντιφέρον innuere, et redhostimentum dotis feminineae indicare, aequalis illa doti fuerit, an inaequalis? Nec repugnabo denique, vt ad parapherna et receptitia, quae ego pro iisdem cum Giphanio et doctioribus habeo, referatur. Est enim πολύσημον id, quod plures crepant, ὑπόβολον nulla constringendum regula certa. Potius semper considerandum cum cura, qua de re loquantur historici, poetae, comici, Iureconsulti, quid agant, dum talia scribunt, quid petant, quis sensus sit verborum ab ipsis adhibitorum? Quocirca vix vereor, vt mihi aliquis sit contra iturus, si Leibgedings-Berbesserung, vel Mitgifts-Berbesserung, vel ipsam Morgengabam, vel donationem propter nuptias ὑπόβολον sim appellaturus? Verba valent sicut nummi, praesertim si propter originem suam plures significaciones ferant ancipesque potestates sinu suo complectantur: modo scribens, vel loquens perspicue innuat, quo sensu id vocabuli usurpet, quidue istud valere cupiat, debeatque.

§. XII.

Sed linquamus Graecos Romanosque et ad Morgen-gabam nostram redeentes ea, quae maioris momenti sunt, consideremus. Meinoratu vero dignum est, apud Germanos non consensum solum, sed concubitum, hoc est, confessionem thalami efficere nuptias, prorsus ac tum demum apud Hebraeos vera et propria vxor erat, quae in lectum genialem est adsumta. Quo peracto non solum nuptiarum finis adest; verum etiam sponsa suum nomen exuens vxoris nomine cohonestatur, et sociae: quae societas et familiaris usus cum maxime ponderanda sunt, si quis MORGENGABAE verum finem indagare gestiat. Vti enim sponsalia cer-



certae pecuniae summa firmabantur; dein sponsae traditio dote conuentionali promouebatur; ita SOCIETAS INDIVIDVA et communio nouo liberalitatis symbolo demum confirmabatur, quod MORGENGABAM, hoc est, donum matutinum ad vnum omnes nominabant populi Teutonica de stirpe progerminantes. Actum agerem, si per singulorum leges, aut statuta irem, et id vocabuli inde excerptem, aut longo diplomatum chartarumque syrmate rem a nemine negatam firmare satagerem, quod perinde credo foret, ac noctuas deportare Athenas, et lumen accendere in medio die.

§. XIII.

Diu etiam est, cum in bibliotheca noua parte XVIII. ostendi MORGANATICVM Langobardorum esse *Morgen-gabam*, Saxonum *morgengeue*, seu *morgengift*, et ipsorum *morgencap*, ac tandem, si latino idiomate loquendum, istud matutinum ac celebratissimum donum. Quin menzini, me ex Leopoldi Austriaci, quem ambitiosum appellauerant, instrumento dotali clarissime ostendisse, quid ille *morgenatici*, seu *morgengabae* loco suae destinauerit coniugi Catharinae antiquissimo Sabaudicae gentis stemmate prognatae. Examinaui tum temporis quoque Cocceiana argumenta, quibus ὁ μανιάτης aliam originem huius vocabuli indagare et persuadere eruditis conatus est. Solum enim hoc diploma ex Guichenonii genealogica historia Sabaudiae eiusque codice diplomatico adductum (*) peruincit,

MOR-

(*) Adscribo verba hoc pertinentia: *Praeterea saepe dictae CATERINAE Morgenaticum assignare debemus, ad nostrum arbitrium, et prout nobis videbitur: de quo Morgenatico ORDINARE et DISPONERE poterit. Notent hoc, qui dubitant,*



MORGANATICVM esse ipissimam MORGENGABAM, quod istis minime accidet peregrinum, qui, quam mutentur in ore loquentium vocabula, perspectum habent; praeципue si in latinum idioma transfundantur. Vnde vix necessarium puto, ut morgenaticum repetatur a morgengadink, morgendink: ut alioquin probe intelligo, Dingens significare confabulari, aut iudicare, cum iudicium sine sermonе ac disceptatione in vtramque partem peragatur nunquam. De aliis deriuationibus consulto fileo; nec induci possem, ut credam, Georgii Hickesi in praefatione ad thesaurum linguarum septentrionalium obseruationem quam ex Curtini indice ad Grotium hausit, magni esse momenti, cum nemo fere secus sentiat: Vnde, inquit, quoque MORGEN - GIFE non potest denotare donationem aliquam, quam die nuptiarum, sed quam postridie nuptiarum, vel postera a nuptiis die sponsae sponsus propter nuptias dabant: quemadmodum Courtinus, auctor versionis Gallicaе, in quam transfunditur liber H. Grotii de iure belli et pacis, in indice, sub voce mariage morgengabique: MARIAGE MORGENGABIQUE est celui ou tout l'avantage de la femme consiste en un present, que son mary lui fait le lendemain des noces. Morgen en Allemand c'est lendemain, gab c'est present, et c'est une espece de ce que nous appellons Douaire.

§. XIV.

Sed cum vero paullo difficilius videatur comprehensu, quomodo et quare in signum confortii arctissimi et communionis individuae et post nuptias demum saepius nominatum donum mane consuevit consignari ac rea-

pse

bitant, donum matutinum a dote mariti non differre: de qua extrema specie constat, nihil libertatis in ea mulieri competitissimum, si ius vendendi fruendi Germanico mori conueniens excipias.



pse porrigi; idcirco necesse est, vt quid cogitauerint ea de re Teutones, clarius ante oculos constituatur. Itaque commonefacio omnes, sponsam mansisse sponsam, et si festus apparuit dies, et si tubicines, tympana sonuerint, et si sacerdotalis vox audita, et si largiter exhaustae paterae, ac pede pulsata tellus, et si in domum quoque deducta. Erat enim conscendendus thalamus, et in illum adsumenda sponsa, vt sic communis vtrique lectus, istaque socia efficeretur, ac consors tori, et bonorum omnium adseclari. Hinc speculator Saxo lib. III. art. 45. et lib. I. art. 45. Sie ist seine Genossin, und tritt in sein Recht, wann sie in sein Bett tritt, vel sicuti Allemannus part. I. art 324. Sie muß sein Genosß seyn, wann sie an sein Bette gad. Schilte-rus proprium, ait, hunc morem Saxonibus esse: sed nec Allemanni sunt excludendi, nec Franci, nec Germanicae gentes fere omnes. Nihil hic ratiocinationibus dandum contra Germanos, possessionem thalami ex utraque parte vrgentes: vtut sacerdotalis copulatio et consecratio ex postfacto apud ipsos inualuit, et symbola interuenere. Inhaerent illi suis institutis et cogitatis etiam nunc, et corporis commercium postulant, si socia nominari cupiat noua nupta, si aliorum iurum particeps flagitet esse, si capere nonnihil e bonis coniugis desideret, ac seruis ancillisque imperare et pro dignitate mariti famulatio, satellitibus aliisque commodis desideret vti. Itaque coniunctionem illi corporalem et in sensus incurrentem poposcere. Facile foret praestitu, vt Pipini lex variaque hac de re statuta ciuitatum singularia adferrentur, si quis cum ratione ambigere de consuetudine notissima posset. Sed faciam tamen, vt e Friderici III. historia aliquid innotescat Lectoribus. Austriaeque Imperatoris, vtut in propria caussa, testimonium habeant; et si res tota mi-



mirifica Lusitanis ac Neapolitanis visa. Iucunde omnia narrat Aeneas Sylvius in vita Friderici III. a Kulpisio publici iuris facta. Exinde, inquit, festinabat imperator (Fridericus) abire; Leonoram autem sponsam suam nondum cognouerat; quod id operis in Alemanniam referre volebat; siue ne sanguis Italicus sibi nasceretur, siue aliud religionis in mente gerens. Virgomoesta videbatur, quae se circumduci, velut parum placentem, existimabat. Quod cum Alfonsus animaduertisset, adiens Caesarem, in ea urbe atque in his aedibus, ubi tunc fuere, contractum fuisse matrimonium indicat, ibique merito consummandum: a DEo datum esse, in eundem locum, ut ambo venissent, orat ergo ut virginis misceatur. Quod cum Fridericus negaret, ergo, inquit Alfonsus, neptem meam in Alemanniam duces, atque illinc cognitam, si minus placuerit ad nos remittes; aut ea fortasse neglecta cum alia contrahes: quin potius eam hie cognosces, ut, si placeat, abducas rem gratam tecum; si minus, apud nos onus dimittas. Quibus verbis, et si erat Caesar paulo debilior, commotus est, atque operam matrimonio dare statuit. Ius sit igitur TEVTONICO MORE stratum apparari, iacentique sibi Leonoram in ulnas complekusque dari, ac praesente Rege cunctisque Proceribus astantibus superduci CVLCITRAM. Neque aliud actum est, nisi datum OSCVLVM. (*) Erant autem ambo vestiti, moxque inde surrexerunt. Sicque CONSVENTUO TEVTONICO-RVM se habet, cum principes primo iunguntur. Mulieres Hispanae, quae aderant, arbitratae, rem serio gerit, cum superduci culcitram viderant, exclamantes indignum fieri facinus, Regem qui talia permitteret, increpabant. Ille autem non sine risu et iucunditate spectabat PEREGRINOS Mores. Nocte, quae instabat, futurus erat concubitus ex nudis.

Ab

(*) Obseruabo nonnihil de hoc osculo inferius §. XLIII.



Ab hoc TEVTONICO MORE multa sunt ducenda, et decidenda, in quibus alioquin aqua haeret patriarcharum rerum imperitis Iureconsultis, de quibus postea. Sufficiat adnotasse; hinc potissimum elucere, quid sit Sueorum **Decke beschlagen**: quae phraseologia non solum apud Würtenbergicos in vsu est, sed fere apud Sueos omnes et Francos, et Boios, et Austriaeos. Nec vereor, quin huc sit referenda illa apud Ditmarum variisque in litteris Henrici II. obuia vox **CONTECTALIS** Latio ignota, hincque a Jacobo Gretsero in aliud nomen transformata: quem propter ea Schurzfleischius merito reprehendit in dissertatione *de In nocentia Kunegundis.*

§. XV.

Et huius igitur in consortii signum inuenta est ultima largitio, quam MORGENGABAM veteres dixerunt, ac nos cum illis. Omnes conspirant, donationem reapse et cum effectu factam esse mane; idque minime probandum est multis: et si sexcenta occurrunt et ad manus sunt diplomata et chartae. Sed satis est, ut solus nunc Repkouius loquatur *speculi Saxonici architectus lib. I art. 20.* Nun vernehinet was ein jeglich Mann von Ritters-Art möge seinem Weib zur Morgengab geben, des Morgens, als er mit ihr zu Tische geht, vor Essens ehne der Erben Laub. Nemo non deprehendit, post concubitum maritos sese erga lecti consortes liberales admodum praestitisse, cum nihil restaret amplius ad arctissimam societatem conglutinandam, simulatque prandium instaret instructum et apparatum amicitiae singularis ac vitae communis nouum symbolum. Cui enim ignorantum est, tum demum Germanos nostros existimasse, eos singulari familiaritate viuere coniunctos ac secretorum omnium videri participes, qui communis quadra pa-

K

fce-



scentur? Produnt hoc de more nonnulla Francici scriptores, estque in vulgus notum, Regis coniuam *amicum* eius signare, DRVDVM, et consiliorum arcanissimorum compotem. Vnde concludo, matutinum hoc donum destinatum fuisse nouae maritae, ut memor esset semper primi consortii, (*Der Genossenschaft*) hoc est, societatis, et amicitiae longe sanctissimae per concessionem thalami perfectae perque mensae continuum atque indiuiduum usum solidius coagimentandae. Vnde proverbum apud Francos, quod Furreterii vena expressum damus, adhuc durat:

*Coucher et manger ensemble
C'est mariage, ce me semble.*

Ex quo cogitur, pretium dotis, seu dote legalem et morgengabam, et dote conventionalem, quae in dotarium demum nouo artificio transiit, toto caelo differre. Nam istud ad firmitudinem sponsalibus conciliandam et acquirendam vxorem parentibus eius pendebatur: *morgengabe* in signum consortii et societatis familiarissimae post concubitum constituebatur: *dote conventionalis* vero mulieri viduae propterea destinari solebat, ut ne in solitudine sua curis anxia post mortem mariti viueret, qui alere ipsam amplius nequit, sed pro dignitate eiusdem potius, nullius in onus recumbens, vitam aliquando percommode transigeret.

§. XVI.

Verum tamen audio iam obloquentes mihi hac parte, qui morgengabam cum dote confundunt, audio, ac lampada simul offerentes mihi animaduerto, qua interea non indigeo, lubentissime singulis relinquens lumen suum, ne ipsimet in tenebris ambulent. Neque enim est fere gens Teutonica, quae haec non existimauerit sollicite distinguen-



guenda, distinguatque hodienum. A Francis incipiam,
qui haud dubie dotem et morgengabam seiunxere. Nam
dum Gregorius Turonensis *Lib. IX. cap. XX.* de Chilperici
Regis Suessonensis et Gaileswindae nuptiis verba facit, DOTE
TEM profecto et MATUTINALE DONVM accurate se-
parat: cui sane magis fidendum, quam ceteris, qui hic di-
uortium faciunt. Erat haec Gaileswinda filia Regis Hispaniae
Athanagildi, soror Brunechildis, quam frater Chilperi-
ci Sigebertus in matrimonium duxerat, laqueo tandem suf-
focata Fredegundae insidiis, quae propter eam paullo ante
regia est expulsa. Quae ut ordine cognoscantur, consulendus
est Turonensis *Lib. IV. cap. XXVIII.* vbi caussae afferun-
tur, quare, secundarii vxoribus abdicatis, ad Gaileswindae
nuptias animum appulerit Chilpericus: deinde legenda
sunt pacta Guntramni et Childeberti Andelaensia, quae *Lib.*
IX. cap. XX. apud eundem Turonensem inueniuntur, in
quibus diserte et speciatim exprimitur, quid Gaileswinda
occisa tam in dote, quam in matutinali dono acceperit. Nec
iuuat, DOTE forte a Gaileswinda esse allatam, illosque
THESAVROS hoc nomine insigniri. Probe enim expri-
mitur, Burdegalam, Begoram, Lemouicum, Cadurcum,
Benarnum, quae hodie appellatur *Lescar*: tam 1) in DOTE
quam 2) in MORGANEGIBA fuisse. Nihil hic de Atha-
nagildi possessionibus obseruatur: omnes ad Chilpericum
pertinebant, e Chariberti Parisiensis Regis haereditate ad i-
psum deuolutae. Vnde luce meridiana clarius, perperam
hoc loco fingi dote vel profectitiam, vel aduentitiam.
Quam rem cum accuratissime descripserit Vir illustrissi-
mus Petrus de Marca summus Tholosatum ac dein Parisi-
ensem Praesul in *historia Bearniae cap. XVII. n. 6.* libro opti-
mo et gallico, operae pretium est, ut eius verba hic conspi-
ciantur: *Chilperic Roi de Soissous posseda en consequence de*



ce partage, de la succession de Charibert, les villes de Bourdeaux, Limoges, Cahors, Bearn, et Beggorre. Et de fait il disposa de ces deux dernieres Cités, qui lui apartenoient en la Novem-popularie apres le decès de Charibert, au profit de sa femme par voye de dot, et de donation matutinale. Car suivant l'exemple de son frere Sigibert, qui avoit espousé l'an. 565. Brunehilde, fille du Roi d'Espagne Athanagilde; sous la promesse qu'il fit a' abandonner ses autres femmes. Le Roi d'Espagne fut bien aisé de placer si avantageusement ses filles, et leur en departit beaucoup de richesses en meubles, et deniers, ainsi que remarquent Gregoire de Tours, et le Poëte Fortunat. Chilperic aussi traita fort honorablement Gale suinte, lui donnant tous les avantages qui se pouvoient, suivant les loix Gothiques, que l'on observoit en Espagne et suivant les loix Françoises, sous lesquelles cette Princesse devoit vivre à l'avenir. Car ce Roi lui accorda quelques domaines pour sa dot, conformement aux Loix Wisigothiques, qui chargent le mari de constituer en dot à la femme, la dixiesme partie de son bien, ou ce qu'il avisera, s'il est puissant en richesses. Outre cela il lui en assigna d'autres à tiltre de DON DU MATIN, de donation pour noces, de Dönaire, ou d'Agencement, que les François nommoient Morgangiba. Ce qui estoit ordinairement compris dans un même contract, qui contenoit la Dot, et la Donation pour cause de noces, comme l'on voit dans les Formules de Marculfe. Les domaines accordés à la Reine Gale suinte, à tiltre de dot, et d'agencement, consistoient aux villes et païs de Bourdeaux, de Limoges, de Cahors, de Bearn, et de Begorre, selon qu'il est enoncé dans le traité des Rois Gontran et Childebert, chez Gregoire de Tours.

§. XVII.

Non abs re est, quod obseruat Antistes summus, uno saepe contractu vtrumque largitionum genus esse comprehensum: ut ut caussa, sicuti Iureconsulti loquuntur, seu prae-



praestatio differretur, usque dum thalamus esset consensus. Patet hoc lucidissime ex Augusti Gallandii charta, quam in tractatu de *Franco allodio* p. 323. adulit; sed cui e chartulario monasterii Casauriensis Stephanus Baluzius in appendice actorum veterum ad *Capitularia* aliam adiecit, ubi Ioannes Filius Dominici, posteaquam recensuit, quae Mizae maritae futurae pro MORGENGABA destinauerit, addit: *ut alia die POST NOCTEM NVPTIALEM, qui est DIES VOTORVM nostrorum, ante parentes et amicos nostros ostendam HOC SCRIPTVM testibus roboratum et dicam: Ecce quod coniugi meae in MORGINCAP dedi, et sic ab HODI ERNO die firmum et stabile TIBI Miczae, vel tuis HAEREDIBVS permaneat.* Ideo minime labuntur Carpzouius (*) et Vossius de vitiis latini sermonis voc. *Morgengaba*, dum ante nuptiale conuiuum eius rei praestationem factam scribunt. Neque enim ante concubitum euenisse scribunt; sed durantibus adhuc nuptiarum solennibus, secunda post tori consortium die, quam adhuc Franco-nes den andern Tag appellant, seu guten Muth, Glückwunschgungs=Tag, diem votorum, uti charta iam-dum excita; quin diem felicissimum, quemadmodum Marculphi formula rem exprimit; mane, antequam cibum caperet cum vxore noua maritus, veluti speculi Saxonici compilator. Solent quippe homines nobiles non uti plebeii post sacerdotalem consecrationem edendo, saltando, cantandoque celebrare nuptias, sed postera de-mum luce, cum traditio euenit, et illi votorum suorum compotes facti; quod sane non est prima, sed dies se-cunda. Vnde etiam in lege Langobardica DIES VO-TORVM describitur, quando filia vel soror ad maritum AM-

K 3

BV-

(*) De Iuribus singularibus Feminarum p. 197.



BVLAVERIT, seu AMBVLAVIT; non autem dicitur *ambulat*, sed praeteriti nota temporis traditio iam facta atque corporalis in domum maritalem translatio signatur.

§. XVIII.

Consimilis distinctio **DOTIS** nempe et *Morgengabae* in lege Ripuaria Dagoberti II. occurrit cap. XXXVII. n. 1. et 2. *Si quis mulierem despousauerit, quicquid ei per tabularum seu chartarum instrumenta conscripserit, perpetualiter inconuulsum permaneat.* II. *Si autem per seriem scripturarum ei nihil contulerit, si virum superuixerit, quinquaginta solidos in DOTE M recipiat, et tertiam partem de omnire, quam simul conlaborauerint sibi studeat euindicare; vel quicquid ei in MORGENGABA traditum fuerat, similiter faciat.* Non potest aptius testimonium haberi, quo *dos legalis* et *conuentionalis*, et *Morgengaba* inter se distincte magis segregentur; ita ut fere superuacaneum videatur, prouocare adhuc amplius ad Marculphi formulas, vbi paratione *dos* et *Morgengaba* separatim collocantur, nec sine cura tanquam diuersa describuntur.

§. XIX.

Sed addam tamen ex more Langobardorum nonnulla, ut omnes elabendi rimae dissidentibus obstruantur. Publicauit Antonii Vionis Herouallii beneficio *Stephanus Baluzius* in appendice *actorum veterum*, quae notis ad Agobardum subiunxit sententiam, seu placitum de seminae Langobardicae, Gundii nomine, rebus dotalibus post sumtum velum cum Sisenando Franco nuptias contrahentis, quam ideo Ludouicus Pius bonis suis multatuit, eaque Casauriensi monasterio addixit. Eo in instrumento non solum **SCRIPTVM DOTALITIAE** occurrit, item **IN DOTALITIO DARE**, verum etiam ipsius **DOTA-**



TALITII et MORGENGABAE substantia sollicite sciuntur. Referam haec verbis filiorum Gundī. *Veritas est, inquiunt, quia Iusto Genitor noster habuit in coniugio Gundī genitricem nostram. Et donauit ei ipsam curtem de Monachia-no IN DOTALITIA cum omnibus, quae ad se pertinent. Et dedit ei omnem aliam partem de omni alia re sua, quantam habebat vel habiturus fuisset.* Haec pars paullo superius in eodem documento TERTIA pars de omni alia re Iustonis, qui erat primus maritus Gundae seu Gundī, appellatur, quam destinauit ei in DIE VOTORVM: quae postrema verba *Morgengabam* produnt, sicuti e charta, quam paullo ante dedimus, certissime liquet. Duntaxat dubitationem habet, quare hic tertiam IVSTO obtulerit et consignauerit dilectissimae GVNDAE, cum alioquin nemini Langobardorum quartae limitem in MORGANATICA migrare fas fuerit. Cui repono: nihil hic inueniri Langobardorum legi aduersum: vtut primo obtutu videtur. Neque enim illi trientem, quadrantem, itemque tertiam et quartam eo pacto intelligunt, quo veteres Romanorum calculatores. Barbari sunt, qui loquuntur, ac Langobardi et Franci latini idiomatis integri et numerorum Romanorum non prorsus periti. Quod Romani tertiam, seu trientem appellant, hi quartam dixerunt. Vnde et in capitulo Raynutius X. de *Testamentis* tertiae secundum ius ciuitatis Tuscanensis mentio fit, quam sapientiores interpretes ad vnum omnes de MORGANATICA exponunt. Acutissimus Ianus à Costa in exquisitis ad hoc *capitulum* commentariis opportune nobis aduenit, obseruans p. 524. ex antiquissimo Iureconsulto Odofredo, quartam semissim significare Langobardis origine Teutonibus binas vncias, hoc est, tertiam semissim. Etiam triens continet quatuor partes assis; eoque facile fieri potuit, vt reuera quarta Lan-



Langobardorum sit tertia, seu triens Quiritium. Ipse memini, quam difficulter didicerim trientis et quadrantis differentias; animo semper volens quatuor portiones, quas quadrantis nomine saepius extuli, sicuti tres partes trientis. Quocirca nihil ambiguitatis remanet.

§. XX.

Fuisse vero Langobardorum lege ad summum quartam partem bonorum (quae reuera est tertia Quiritium) seminarum Morgengabae deputatam peritioribus constat; adeo ut si cum illis solis res nobis foret, omnis probatio vana et inanis esset futura, nec opera, nec oleo digna. At non sunt omnes eo ingenio ac scientia praediti, ut vetustos gentium mores examussim intelligent. Igitur ex lege Luitprandi id probandum est Lib. IV. cap. I. MORGINCAP nolumus ut amplius sit, nisi quarta pars de eius substantia, qui ipsum MORGINCAP facit. Siquidem minus voluerit dare de rebus suis, quam ipsa quarta portio sit, habeat in omnibus licentiam dandi, quantum voluerit. Nam super ipsam quartam portionem dare nullatenus poterit.

§. XXI.

Sed quare Luitprandus donationem hanc arbitriam ad certam quantitatem redegerit, nec plus quarta hac ex caussa mulieribus deferri permiserit profusa ac dissoluta sine dubio liberalitas in nouas maritas fecit, quae suis blanditiis ita saepe inescant amatores coniuges, ut primis muliebrium deliciarum dapibus capti in futurum vix prospiciant, liberorum oblii atque propinquorum omnium. Quocirca admodum delirant, qui donationes inter virum et vxorem quadantenus circumscriptisse Langobardos somniant ad legem Romanam respicientes. Neque enim veteres Langobardi Romani moris anxii cultores erant; neque ita etiam reliquis Germanis ista Roma-



Romanæ legis dispositio arrisit, vt eos imitandos censuerint illico. Immo vero perdoctus Scipio Gentilis merito Sichardum ridet, qui huiusmodi matutina et iugalia dona hodie non valere existimauerat. Accedit, quod Baluzius ad Agobardum p. 136. obseruat, Langobardorum instituta seminarum compendiis haud parum tribuisse: quod non faciebant veteres Romani seuerius vxores habentes.

§. XXII.

Quanquam vero certum est, non aliter sensisse Luitprandum, quam diximus; atque aliquo etiam temporis interuallo eius decreta in vsu mansisse; constat tamen, sequiori aetate ab illis esse quodammodo recessum. Est hoc Iano a Costa itidem obseruatum; sed cui luculentiori testimonio suppetias fert Iustus Fontanini in appendice veterum actorum, quod *in vindiciis antiquorum diplomatum aduersus Germanii disceptationem* conspicitur. Ita enim insit, quod is adducit instrumentum: *Anno dominicae incarnationis MCLXIII. indictione XI. breue memoriale, quod Folco dedit Dominae Gerlint omnia sua propter PRETIVM IN MANE, quando surrexit de lecto, protulit ei, quidquid ad suum dominatum pertinebat, cetera.* Adspergit adnotamentum laudatissimus Fontanini: non conuenire eius generis largitionem Langobardicae legis formae; immo patefieri, recentiori tempore paullatim istam quantitatem coepisse transfiliri.

§. XXIII.

Quamobrem vero tertia placuerit, seu quarta certo sensu Langobardis, supersedeo dicere pluribus: dummodo obseruent harum rerum curiosi spectatores, fali Ianum a Costa et acutum cernere. Acutum cernit, dum morganaticam tertiam laboris partem pronuntiat,

L

quam

quam itidem habuere Franci, et, ut supra e lege Dagoberti II. innotuit, morgengabae quandoque aequalem censuere. Labitur vero, dum Carolum Magnum eius tertiae auctoritatem facit, quum diu ante eum cognita fuerit Francorum populo: ut taceam Luitprandum longo interuallo Imperatoris huius aetatem antecessisse, qui morgengabae summam tertiae seu quartae mensura finiuit.

§. XXIV.

At sufficit nobis, et Francos et Langobardos a MERTHA et DOTE pacta MORGENGABAM longa intercapendine seiunxisse, legalem spectes, an certo et arbitrario libello designatam. Potuit namque vnuisque virorum nobilium ad Langobardorum morem viuens vxori suae legem hac parte dicere; duimodo ne quartae, seu tertiae quantitate posthaberet. Quid extra ordinem vel iure ciuitatis singulari, vel peculiari indulgentia, vel more se quiori licuerit, iam certe omitto: contentus commendasse dissentientibus Lib. II. Tit. XII. l. 15. *Codicis Langobardici.*

§. XXV.

Itaque ad Allemannos eundum, quorum mores hoc loco neutquam recedunt ab Langobardorum et Francorum institutis. Est enim exploratum, in vetustis eorum legibus, quas edidere Goldastus, Lindenbrogius, Baluzius DOTEM a MORGENGABA distingui, aliamque summam illi, alteram huic suisse deputatam: quod insipientibus Tit. LIV. l. 1. et 2. illico in oculos incurrit. Sed clarius tam e Speculi Sueuci compilatore apparet, dotem cum haeredum et filiorum consensu esse definitam; morgengabam sine eorum consensu: quod euidentissime profecto arguit, omnes omnino a ianua aberrare, qui hic a commixtione diuersarum rerum sibi non temperant. Audiamus primo legem part. I. cap. 296. occurrentem de morgen-



gengaba: Nun mercket und vernemmet, was ein ieglicher Mann, der von ritterlicher Art ist, seinem Weib zur Morgengab geben mag, ohne seiner Erben Urlaub, des Morgens an ihrem Beth, oder so er zu Tisch geht, oder ob dem Tisch, so mag er geben seinem Weib, ohne seiner Erben Urlaub, einen Knecht oder ein Magd, die zu ihren Jahren kommen seynd, und Jewe und Gezimmer ob der Erd. p. 398. At vbi idem Speculator de dote seu dotalitio, Leibgeding, verba facit consensus haeredum tanquam necessarii diserte meminit part. I. cap. 298. Es giebt ein Mann sein eigen seinem Weibe wol zu Lybding mit der Erben Urlaub, NB. ob sie zu ihren Tage kommen sind.

§. XXVI.

Vnde etiam est, quod dote cum haeredum consensione statuta perfidiam eorundem et praefractam inficiationem acris puniuere, si mulier vel testium sacramentis, vel pugna solitaria duorum pro se decertantium eos mendacii et fraudis conuicerit. Adscribo verba obscura licet et barbara vetustae Allemannicae legis cap. LVI. n. 1. *Si autem proximus mariti defuncti contradicere ipsam dotem illi mulieri voluerit, quod lex non est, illa sequatur cum sacramento cum nominatis quinque, aut cum spata tracta pugna duorum, si potest adquirere aut per sacramentum, aut per pugnam, illa pecunia post mortem mulieris retro nunquam reuertatur, sed ille sequens maritus aut filii eius usque in sempiternum possideant.* Ex quo iterum infertur, dotem, quae posteriori aetate dotalitii nomen adsumit, ad haeredes debuisse reuerti; quia ex hoc loco liquet, in poenam mansisse apud mulierem eiusque haeredes aeternum; cum Morgengaba vi-
cissim propria sit mulieris effecta: quemadmodum nec in-

L 2

cogni-



cognitum est, mulieris solo iureiurando standum fuisse, si de eius morgengaba lis esset nata. Pertinet huc, quod in eadem lege extat n. 2. Si autem ipsa femina dixerit, *Maritus meus dedit mihi Morgengaba, computet quantum valet aut in auro, aut in argento, aut in mancipiis aut in pecuniam duodecim solidos valentem. Tunc liceat illi mulieri iurare per pectus suum, et dicat : Quod maritus meus mihi dedit in potestate, et ego possidere deboeo. Hoc dicunt Alamanni NASTAHIT.*

§. XXVII.

Haesitant hic ad vnum omnes, et quid sit illud *Nastaid*, exquirunt. Lindenbrogius ignorantiam suam minime dissimulat: alii inde *Nachstattung*, vel *Nachsteuer* exculpunt: Cangius, nescio quid, procudit, et iusiurandum proximum, seu *Nahesten End* effingit, cum pectus foeminae sit proximum, hoc est, vita nihil proprius hominem tangat: omnes sane *ανύως*, nec *προς έπος*. Proposui iam non nihil hac de re in Gundlingianis, quod hoc loco partim repetam, partim maiori lumine collustrare conabor. Sumo igitur, esse hac in lege sermonem de *MORGENGABA*, hoc est, de rebus hac fine donatis mulieri. Illares vel dissipatae sunt a marito, vel alii oppignoratae, vel ab haeredibus mariti negatae; et illa suas afferit, et donatas sibi post primam noctem et consortium tori. Ceteri negant; ac mulier hac in adseueratione persistit. Quid iuris? Et iuret, inquit lex, mulier per pectus et computet, quantum sibi absit de fructibus muneric sui, siue in auro, siue in argento, siue in equis, *cetera*. Atque hoc iuramentum *NASTAID* (*) appellatur: quod mea sententia nihil

(*) Inuenio equidem, apud Cambro-Brittanos *Affath* significa-



nihil aliud est, quam *Niesungs*, oder *Nuzungs*-*Eid*. Praesentio, multis hoc iri visum παρεδόξον, qui mea non legerunt, nec illam notari in Gundlingianis opusculis part. XV. p. 481. circumspexere. Enimuero indubitatum est, de sacramento hic agi: deinde de morgengaba, quo viuo iam marito fruitur vxor. Frui significat Allemannorum dialecto *niozan*, *noazan*, *nuazan*, *naozan*, vel sicut Mishenses ac Thuringi loquuntur, *nuzen*, *geniesen*, *niessen*. Hinc illud demum profluxit *nast*, *nasta*. Exhibit Petrus Lambecius in Commentariis ad *Bibliothecam Vindobonensem* Tom. II. cap. V. formulam confessionis, qua usus est Carolus M., ubi sequentia. *Daz ih hungera ni asda, daß ich die Hungerigen nicht gespeisset.* *Alezen, Alzen, Alzung, Essung, Ussung nemini obscura sunt.* Unde relinquitur, ut mulier, quae hoc atque illud in morgengabam sibi destinatum ac donatum adsfirmauerat, quod vel alienatum, vel oppignoratum interea, iureiurando obtainere et confirmare debuerit adserta sua: quo praestito, ipsa res erat reluenda, aut simile huic, et fructus a tempore interceptae fruitionis restituendi. Quod quo sit testatus e Speculi Sueici part. I. cap. 298. magis id existimo firmandum: *Es giebt ein Mann sein eigen seinem Weibe wol zu Lybding, mit der Erben Erlaub, ob sy zu ihren Tagen kommen sind.* Und ist, daß ein Mann seins Weibs Morgen-Gab verkauffen will, oder versetze, oder wie er es entwürt, es sei mit irem Willen, oder ohne iren Willen, dieweil der Mann lebt, und sy daruff klaget, man soll ihr um ir Morgen-Gab recht thun. Will sy auff

L 3

ir

re purgationem criminis per iusiurandum: nec ambigo, quia *ait* sit nostrum *Eid*, *Ath*. At enim vero *Aas crimen*, *turpe* significat: quod alio tempore curatius ostendam.



ir zwyn Brüste, und uss zween Zöpff schwören, ob sy die hat, daß es ihr Wille nie würde, der Richter soll ir, ir Morgen-Gaab wider antwürten. Und will sy sein nit entberen, so muß man ir allen Nutzen widergeben, den das Gut golten hat. Und ist ir Wirt tod, die Erben sollent es thun von dem Gut, das sie geerbet hand, und nit von der Frauen Gut, ob Gut da ist, es sy eigen oder varend Gut, oder ander Gut an Lehen. Posterioris commatis verba comprobant, nostram conjecturam in inanibus non esse ponendam, sed ipsi rei conuenire; cum reliquae omnes videantur longius petitae ac commentitiae. Langobardi, ut hoc deuitarent sacramentum, praesentibus testibus promitti ac libello comprehendi morgengabam praecepere. Saltem hoc Luitprandus statuisse dicitur lib. II. Tit. IV. l. i. Ceterum apud Saxones quoque obtinuit, ut, si lis de morgengaba oriretur, nec aliunde donatum probari posset, secundum iusurandum mulieris pronuntiaretur. An hoc vsu seruetur, disquiremus postea.

§. XXVIII.

Neque vero hac praetermittendum est occasione, ut indicemus, MORGENGABAE fructus a momento initi consortii consensique thalami ad vxorem pertinuisse: quod iterum confirmat, DOTEM, seu DOTALITIVM toto coelo a MORGENGABA differre, quod post mortem mariti demum incipit, nec, nisi singulari pacto, ad patrimonium mulieris viduae demum transfertur. MORGENGABA vero sine villa pactione singulari penes feminam illico manet, quod omnes fere tabulae probant, etiam recentiores: vtut, viuo marito, sine huius consilio nulla eiusdem alienatio valuit; quandoquidem hic vxoris suae tutor, seu MVNDIVS est, cuius deficiente arbitrio et consensu nihil fit, nec cum firmitudine vel tantillum ad extraneos transit. Neque ab hoc



hoc more abit Saxonum ius, quod refert Repkouius lib. I.
art. 20. et 21. Die Frau erbet die Morgengab auff ihre Er-
ben, und mag darnach thun und lassen, was sie will:
aber Leibgeding nicht.

§. XXIX.

Quocirca prorsus decipitur Iureconsultus Suecus
Ioannes Otto Stiernhoeck de *Iure Sueonum et Gothorum*
vetusto, quando libro II. cap. I. p. 164. agnoscit, Morgenga-
bam pleno iure in vxoris solitarium dominum transisse,
atque interea tamen animum inducit, eam cum dotibus, seu
dotalitiis hodiernis conuenire, in quibus eiusmodi translac-
tio et liberrima dispositio neutiquam reperitur. Inde enim
facillime suum intelligere errorem potuisset, si animum
aduertisset. Aut enim in Suecia nulla obtinet morgen-
gaba, aut obtinet etiamnunc. Si prius, congruere sane illi
definitio debet, quam ipse de hac matutina donatione for-
mat. Sin minus, quare igitur morganaticam, aut morgenga-
bam appellant hodie? Sed fatetur, hodiernas dotationes
omnino dispare: *Quicquid autem sic datum, inquit, fuit,*
non tempore vitae, aut ad usum fructum tantum manxit, ut
in Regum, Principum hodie, et nobilium MORGENNATI-
CIS; sed absolute translato plene dominio, ut mulieri esset
facultas de iis pro libitu disponendi, ea que mortua intestata
transiret ad eius haeredes. Ex quo elucet, illa recentioris ae-
uii Morgennatica aut mentiri nomen; aut, si sint, pactis sane
aliter suisse informata.

§. XXX.

Apud nos vero in aprico est a veteri more neuti-
quam ab ludere recentiores formulas, quas plena manu
suppeditat Ludolphus augustissimi Tribunalis, quod Ca-
mera appellatur, Adseffor longe grauissimus in tractatu
de *Iuribus feminarum illustrium*. Non solum enim Leib-
geding,

geding, hoc est dos, et dotalitium a mōrgengaba diserte semper separantur; verum etiam ita describuntur, ut fructus, ac usurae statim post consummatum Teutonico mōre matrimonium currere incipient. Nolo hic copiosus esse: alioquin etiam e Sagittarii *historia Gothana* ac Tenzelii *supplementis*, Höhnii *historia Coburgensi*, ac Lunigii *publici iuris tabulario* bene multae suppeterent tum nouae, tum antiquae nuptiales tabulae, vnde haec maiori robore munirentur. Sed tacere tamen hequeo singulare, quod in Historia Gelriae Ioannis Isaaci Pontani adnotauit, neimpe Mōrgengabam post mulieris viduae obitum ad mariti haeredes transferendam. Diserte enim Raynaldus Iuliaci ac Gelriae Dux Mariae Harcuriae, Ludouici Aurelianensis filiae, regia Gallorum stirpe ortae MORGANEGBAM in Satrapia atque arce Bornensi ea conditione adsignauit, *vt iis earumque redditibus ad vitam SOLVM vtatur fruaturque.* Quod sane peculiari pacto tribuendum; cum ex ordine dominum illud matutinum ad potestatem vxoris pertineat. Neque est, quod quis praecipiti cursu effuriat, MORGENGABAM illam dotem fuisse, quam coniugi Mariae depūtasset Dux Raynaldus. Statim enim os obstruitur sic garrientibus, quando ex dicto libello iis ostenditur, et DOTE et MORGENGABAM inueniri dictam, simulatque alias possessiones et castra pro DOTE, alia pro MORGENGABAE compendiis inueniri destinata. Ceterum merito in reprehensionem incurrit Pontanus, quod, dum e veteri Saxonico idiomate in latinum hasce tabulas transtulit: MORGANEGBAM cum antiphera commutauit: quod hercule illepidum est. Quare rectius agent, qui exemplo relicto authenticum sunt consulturi, quod apud SCHLICHTENHORSTIVM harum musarum amatores hac parte integrus inuenient ad a. C. 1010. p. 176. exactius simul animaduer-

furi,



suri , quodnam eius fuerit WEDVWDOM , deinde quae MORGANEGBA. Sed vti monitum , primum hic ius occurrit pacto sic definitum ; cum alioquin ad liquidum sit perductum, MORGENGABAM proprio iure penes vxorem eiusque haeredes mansisse. Quod ne vnquam excideret auditorum meorum animis , idcirco in Ioannis Austriae , Rudolphi Habsburgici Nepotis , historia semper obseruandum inculcaui, ideo fere in furorem hunc Principem datum , vt in Albertum Imperatorem parricidale ferrum stringeret , quod ne Comitatum quidem Kyburgensem a Rudolpho Rege matri sua in *morgengabam* donatum redidisset. Digna lectu in hanc rem sunt Alberti Argentenensis verba : *Ioannes fratuelis Regis Alberti, quem Rex in sua curia cum filiis nutritivit, afferens dominium in Kyburg ad se spectare, tanquam Matri suae per Rudolphum Regem olim MORGANATICO IVRE DONATVM, cum sua libenter habuisset, instabat feruenter, ut hoc sibi saltem (eum intuentibus aliquibus) assignaret, ad quod Rex minime induci potuit. Quae denegatio Imperatori necem acceleravit.*

§. XXXI.

Quae etsi ad thema probandum sufficerent ; non possum tamen , quin ius Bauaricum exutiam , in quo Morgengabam confundi cum dote mariti monuit diligenter Schilterus. Ac fateor, in hodierno prouinciali Bauariae iure tit. I. Artic. I. Morgengabam sic describi , vt quid sit , aut pro qua specie venditetur , difficulter comprehendatur. Sed certum est tamen , in vetustioribus statutis aliquid distinctius inueniri. Ipse Gaspar Schimidius , qui vastos ad ius prouinciale Bauaricum hodiernum commentarios scripsit , aliquid ex illis antiquioribus tabulis adducit , vnde arguas , Morgengabam ita propriam mulieri fuisse , vt liberrime iis de rebus disponendi facultatem

M

tam



tam inter viuos, quam mortuos habuerit, quam nec Parentes, nec liberi, nec consanguinei vlo modo cohibere, aut impedire potuere, ratione adiecta: Weil diese Morgengab keine Belohnung ist, die der Wirth seiner Braut giebt, um die höchste Ehre, die ihr Gott je gab, das ist um die Jungfrau-Schafft. Ea de caussa nouus commentator tam inuidendum Morgengabae priuilegium ob amissum virginalem pudorem tributum opinatur. Verum tamen opinatur solum. Est enim hoc antiquum ius vndique Morgengabae competens, vt, nisi aliud pactum speciale obstet, in liberissimo mulieris arbitrio sit; cum vicissim in dote mariti res aliter sese habeat, vt quae tamdiu ex regula vxori relinquitur, quamdiu viuit, nec alterius nuptias noue appetit. Quod postremum ex veterima Boioriorum lege, quam integrum adduxi cap. II. §. 8. bene innotescit, quando Tit. XIV. cap. VII. usufructuariae portio-
nis mentio iniicitur, quam mater de bonis mariti consecuta filiis, qui ex eo nati sunt coniugio, inter reliquas res paternas, relinquere cogitur, si ad secundas nuptias processerit. MOR-
GENGABA vero nullo verbo huic rei idoneo exprimitur: vtut de dote ex lege aliquid occurrit, quae vero non est Morgengaba, sed illa sponsalis arrha, quam Langobardi metbam appellant. Ceterum usufructuaria portio filiorum haereditariam partem aquabat, vt in cap. VI. praeceunte; nisi aliud disposuisset Pater. Maior lux e Baioriorum statutis tam nouis, quam recentioribus vix adfulget. Vnde ad diplomata et tabulas iterum configiendum, in quibus Ludouicus Bauarus, postmodum Imperator, Rudolphi fratris uxori Mechtildi, et hic vicissim Beatrici Ludouici coniugi sancte promisit, se 1) donationem propter nuptias, 2) dotalitium 3) Morgengabam a maritis destinata nullo tempore impedituros. Vnde liquere existimo, ipsos etiam Boios



Boios nobiles eo tempore morgengabam a dote separasse. Saltem morgengaba non est iis in tabulis donatio propter nuptias, neque haec dotalitium, neque dotalitium morgengaba. Adscribam germanica verba: Es stet auch an uns Herzog Rudolfsen, da wir unserer lieben Huzzfruwen, oder unsers lieben Bruders Huzzfruwen geben ihr 1) Widerlegung, 2) Widem und 3) Morgen-Gaab, die selben sullen wir auch unsers lieben Bruders Huzzfruwen geben ir 1) Widerlegung, 2) Widem und 3) Morgengab. Eadem Mechtildis Dux Palatii Rhennensis et Bauariae, Rudolphi vxor, cum consensu fratri Gerlaci Nassouii Ludouico affini peculiaribus litteris confirmat *Antihebi* Christophori Gewoldi ad Marquardum Freherum insertis, quas Historiae Palatinæ conditor *Carolus Ludouicus Toelnerus* in *Codice diplomatico* denuo publicauit. Quae repetitio argumento est, non fortuito aut *ευενύως* huiusmodi voculas esse cumulatas, sed consulto seiunctas; cum sane indicent diuersum. Accedit, quod in ipsa lege Bauarica prouinciali veteri ac noua **MORGENGABA** pro virginitate dari dicatur: quod sane neque doti congruit, neque dotalitio; eoque concludendum, nec Bauarico iure *Morgengabam* doti et hanc illi supparem extitisse.

§. XXXII.

Restat quodammodo Saxonicum ius. Et hoc vero indubitate **DOTALITIVM** et **MORGENGABAM** separat, feminisque magnopere obsecundat. Nemo quippe, qui paullo est humanior, vñquam inficiabitur, Saxones dotibus, seu dotalitiis prospexisse vxoribus suis, nemoque negabit, quin etiam nunc prospiciant; et ipsi tamen morgengabam, seu munus antelucanum vtpote distinctum iisdem tri-

M 2

buunt



buunt benigne. Existimat equidem inficetus Berlichius, inter Saxones olim, cum ius Saxonum constitueretur, nullum adhuc dotalitii vsum fuisse, sed demum Friderico Hohenstauffio regnante euenisse, vt hic elegantiori sexui haud parum tribuens etiam Saxones commouerit, quo minus vxores suas relinquenter indotatas. Quilibet palpat, turpiter sese hunc hominem cum glossa sua vndique dare, et risum doctioribus mouere et populo tandem spectaculo esse. Non solum enim illi vxores suas care emerunt, verum etiam iisdem largiter consuluerunt, viduas feminas nouo remedio et alimentorum beneficio subleuantes. Quamobrem verisimile fit, miserum Berlichium neque Speculum Saxonum prouinciale, neque antiquas Saxonum leges vñquam legisse, nec ius etiam feudale, seu beneficiarium euoluisse. Pertinet eo cumprimis *Lib. I. articulus XXI.* in iure prouinciali: sed distinctius tamen de tota hac re ius feudale cupidos lectores instruit *Lib. III. art. LXXV.* Quae loca si diligenter legissent Saxonici doctores nec verba tantum, sed ipsam rem expendissent, certe tot monstra errorum vix adoptassent. Sed sunt tamen in iis nonnulli, qui acutius cernunt; quos honoris cauſa non nomino: in transcurſu interea mionens, neminem fere eorum ad antiquas tabulas Principum virorum ſele contuliffe, vnde ſuis potuiffent rebus maiorem lucem accendere. Ceterum ad huius monetae studia fori Saxonici strepitus paucifffimos admittit.

§. XXXIII.

Sed nos vero de morgengaba nunc ſolliciti hanc a dote illa maritali in ipfis legibus et vſu rerum separari, palam eſſe credimus. Adduxi iam §. XXIV. ſ. nonnulla, quae ad MORGENGABAM perteſſent; ſed conſulto omiſi, quae ſequuntur verba: *Er mag ihr geben einen Knecht, oder eine Magd, die bei ihren Jahren ſeyn, gezeunet, Zim-*
mer-



mer und Feld, Gang-Bieh. Quae antequam rite expōnam, vtique monendi sunt, qui hāec suis exigere pondēribus conantur, interpres recentiores morgengabam a conuentione viri pendentem et legalem hancce distinguere: in quo an bene subduxerint rationes, videndum. Verum tamen praemittenda sunt multa, vt vetustorum verborum sensus detegatur primum. Quid enim est gezeunet, Zimmer und Feld, Gang-Bieh? Iurarem profecto, alia omnia hic prodi, quam vulgo putant. Ego enim existimo, nobiles in Saxonia viros dedisse lecti genialis assēclis mansum, agros, quaeue superstructa sunt, aedificia mancipia et animalia, quae gregatim pascuntur. Quocirca ita distinguo, Knecht Magd, die bey ihren Jahren seyn, gezeunet Zimmer und Feld, Gang-Bieh. Ut ita arguam, formula quaedam Marculphi facit, quae eadem fere exprimit; neque admittendum, Saxones hac parte ab omnibus Germaniae populis sese separasse. Ideo, inquit, *in ipsa amoris dulcedine dabo ergo tibi in die praesente, quod in perpetuum volo esse mansurum, rem pro portione mea in loco nuncupato illo, qui est in pago illo, quae de parte parentum meorum ad me legibus obuenit, hoc est, in ipsa portione MANSVM AD COMMANENDVM CVM CASTICIIIS SVPRA POSITIS TERRIS ARABILIBVS ET MANCIPPIIS, vel quicquid in ipsa portione est aspectum, tibi dico esse donatum et firmatum, ut quando die felicissimo nuptiarum insimul Deus nos coniungerit, ista omnia superius conscripta in tua permaneant dominatione ad possidendum.* Mansus est villa (*) ein
Mayer-

(*) Noli dubitare, mansum sonare villam. Sunt mihi ad manus varia diplomata, quibus id probatur. Produxit vnum e chartulario Abbatiae Cluniacensis Stephanus Baluzius in



Mayerhoff. Ad commanendum sonat, vt ibi habitare possit. *Casticia*, superposita, latinius superfacta, sunt casae, aedificia superstructa, *Kôthen*, *mancipia*, serui et ancilæ, *Kôthers*, *Kothsassen*, *arabilia*, agri *Felder*. Sola animalia sunt omissa, id est, *das gängige Vieh*, quae tamen ad villam pertinere vtique videntur. Priusquam commenta Doctorum Saxonorum recensem, in transcursu obseruo, ad vnum caecutiuisse omnes, qui de CASTICIIIS suas in medium coniecturas tulere. *Casticum* quippe aliud nihil est, quam *Casaticum*. Casa domum Latinis ac Langobardis significat, et Francis quoque. Iacobus Sirmondus *casticia* e periphrasi quarundam chartarum aedificia representare primum suspicatus est, sicuti *Cangius* obseruat; sed neuter deprehendit, a *casatis*, quae sunt vilissimae rústicorum domunculae, *casticia* demum orta.

§. XXXIV.

Nunc videamus, quid interpretibus legis prouincialis Saxonicae in mentem venerit, eiusque glossarum architectis, quos turba doctorum est secuta, atque ex errore immanni ius denique certum ac nouum condidit. Et aiunt illi, a versione latina et glossa haud dubie decepti, morgengabam mulieris ex lege consistere in seruo impubere, et famula iuuene, et lignis, et aedificiis non penitus perfectis, sed affectis, omnique materia lignea praediis exstruendis apta, eumque in finem comparata, atque pecudibus demum femellis cuiuscunque generis. Ita fere omnes, quos consului Saxonici iuris Mystae, inque primis

Mat-

Codice diplomatico *historiae Alverniae* p. 3. nec impransum te dimittet doctissimus Fontanini in libello singulari: *Delle Masnade ed' altri servi secondo l'uso de Longobardi*.



Matthias Colerus, Carpzouius, Rothschüzius, Barthius. Sed quis credat antiquos Saxones tam fuisse illepidos, vt lignorum strues et sepimenta, et pecudes femellas in signum flagrantissimi amoris, et arctae societatis nouis nuptis aliquando post obitum suum destinarent, ac nihil amplius? Sed ita est, non intellexere Misnenses, hoc est, Thuringi inferioris Saxoniae idioma, quo Repkouius scripsit, quoque omne Saxonum ius vetus obseruatur expressum. Igitur dum viri boni iuris iam Romani naeniis imbuti legerent *gezäunte*, illico cogitarunt de saepibus ac hortorum et pratorum munitis, palis, ac vallis: ignari penitus, *zana* significare Germanis antiquis adunationem, ac villam totam, mansum. (Mayerhoff.) Saltem in Langobardica lege eo sensu *zana* inuenitur. In seinen Zeunen tantundem valet ac in seinem Hoff. Zaun-Gerichte iurisdictionem in seruos et ancillas, qui intra praedii circuitum deprehenduntur, exprimunt, non autem sepimentorum et corbium, quae ex eadem saepe materia conficiuntur, et virgultorum notionem imprimit. Quin Pomerani adhuc cognoscunt, *Zäun und Gebäude* merito coniungi; estque in conuentione Ducis Arnhemii cum Wallensteinio Imperatore, qui Pomeraniae insidebat, caustum, daß er keine *Zäun*, oder *Gebäude* abbrechen soll. Quis igitur nisi insulfissimus persuadeat sibi, sepes deberi lectissimis feminis; id vero, quod conclusum ac munitum, aut circumseptum, non deberi? a villa illam excludi, ab hortis remoueri, atque ad sepes tantum, vel praesepe relegari, cum tamen in forma passiuia dicatur *gezäunte*, vel *gezäunt*, *gethönt*, *thynt*? In patria mea homines *ärzeln* et ad peregrinas oras nunquam excurrentes, domisedi ita describuntur, daß sie über ihren *Zaun* oder *Hoff* nicht gekommen wären. Igitur *gezäunt* totam



tam villae coagmentationem, eaque, quae continentur; non autem solum continens sepe inque exprimit. Quin, obstupescas licet, *Senechalcus* domus curatorem, seu praedii dominici ministrum, et famulum, villicum, *Hoffmeister*, *Verwalter* in lege Allemannica significat Tit. LXXIX. §. 3. *Thyn*, *tzen*, *Baun* curia seu curtis est; vnde apud *Fletam* Anglum distinctio tandem emersit inter *Senechalcos communes*, et *magnos*. SON, SENESTE igitur domus rustica est, praetorium villae, vti Scriptores rei rusticae Romani loquuntur, quod Cangius demum agnouit in voce *Senechalcus*. Litteras f. t. z. autem inter se apud Germanos commutari in vulgus notum est.

§. XXXV.

Sicut vero das gezäunte, aut SENESTE, gehönte, thönte, villam seu praedium ipsum; ita Zimmern aedificia et superficiem indicant ob der Erde, quemadmodum Speculum Sueicum eadem in caussa loquitur part. I. tit. 296. Nemo vero Allemannorum ius suum tam inepte exposuit vñquam, quam glossa Saxonica, et eiusdem basiatores illepidi, hoc est, interpretes iuris Saxonici mediae aetatis. Ædificia illa Marculpho sunt Casaticia, seu casticia, de quibus paullo ante. Quis vero, nisi iterum bonam mentem eiuret, trabes inde ac tignum adsignet mulieri in manus et sub tectum mariti venienti? At Thuringicus, seu Misnicus Glossator iterum ligna et tigna somniat; deque illis late disputant confusi semel inueterata interpretatione doctores: quemadmodum certe seiungenda coniungunt, quando Germanicum Feld, quod terram arabilem exprimit, animalibus, quae gregatim pascuntur, assunt, dem gangigen Vieh, ac de hisce iterum absurdâ configunt, pecudes femellas solum nuptiae tribuentes, nulla



nulla, quam stolidissimae glossae auctoritate, ad hoc induci.

§. XXXVI.

Quare haud dubie factum, vt Magdeburgici Scabini legum Saxoniarum admodum periti, ipso *Mathia Colero* teste, de omni animalium genere, nempe femellis, et maribus explicauerint, parum curantes Lipsiensium Scabinorum conflictas ratiunculas, quibus feminae femellas conuenire statuunt, tum quia ipsa sit femella, tum quia id sibi negotii datum, vt scrofas, vaccas, capras, equas, oves respiciens armenta, et greges, nouis semper capitibus compleat, et foecunditati pecorum promouendae dies noctesque inuigilet. Quibus sane nihil videtur inficiens, cum non solum sine lege loquantur, sed phantasma-ta sua veluti ius Saxonum singulare imperitis obtrudere omni molimine satagant: quasi in hoc singularitas et raritas Saxonicae legis foret quaerenda, vt sit difficile, quod iubet praestitu, et incomprehensibile, quod decernit, intellectu.

§. XXXVII.

Nolim dicatis, praxin optimam semper legis stabilitae videri interpretem: Professores autem Hallenses hoc semper agere, vt non tam de iure constituto, quam constituendo sint solliciti: clarissimos certe Iureconsultos huic rei, hoc est, singularibus seminarum Saxoniarum iuribus exponendis operam impendisse; neque tamen de nobilissima hac interpretatione dubitasse vnuquam; et mihi igitur et respondenti omnem fidem merito abrogari, atque ideo vitrumque a limine iudicij literarii iustissima ratione repelliri. Ego vero stante pede ab hac praeципiti sententia appellandum censeo; appelloque reapse, et apostolos reuerentia plenos ad serenissimae rationis angustum

N tribu-



tribunal instantissime peto. Quis enim est, o mei, qui vobis interpretando praeiuit, nisi fabulosissimus Mangenfeldius, aut qui eum fabulando antecesserunt? Huius hominis inanissimas explicationes calculis vestris approbatas, securi interea, vnde is sua hauserit commenta, aut ex quo fundo tam illepidam petierit interpretamenta. Perperam enim ad Repkouium speculi Saxonici confectorem prouocatur: vt pote qui tam insulsa in vulgus nunquam disseminauit, nec ius adeo ignotum, nec huiusmodi fumos ciuibus suis vendidit. Et fuisse totum Mangenfeldii synciput Canonici et Romani iuris turture repletum, ingenium nulla humanitate, nulla doctrina, nulla patiarum rerum cognitione politum ad unum sane omnes fatentur. Quid igitur homo inscius ignarusque rerum omnium proferat, aut domestico in iure praestet, qui summa imis, Romana et barbara, ac glossarum Italicarum inficeta carmina nouis stolidissimi iecinoris inuentis miscet, illepidam fingens, illiberalia iactans ac nil nisi pus, atque fordes demum in medium eructans? De facto hic sermo est, et quid veteres statuerint Saxones de Morgengaba, quae sententia antiquae legis? Qui vir est, ostendat, quaeso, in saeculis prioribus usum, tamque inepti interpretamenti veram pragmaticam; aut extra Thuringiae saltum, et Misniae pagos ambitumque et proximas eis terras, vbi ius electorale non est, viuidas eius generis decisio[n]es: nisi quide[m] Misnenses doctores existimant, se solos cum ciuib[us] suis esse Saxones, ceteros non esse, qui in inferiori Saxonia degunt, aut in Westfalia viuunt, vnde forte omnia quae Repkouius excerpit, profluxere. Est enim certum, aut saltem neutiquam improbabile, e Susatensi Westfaliae ciuitate veras Saxoniae leges cum ceteris fuisse communicatas, si Chronico Holstato,



satico, quod celeberrimus Leibnitius dedit, ac satis vetustum et saeculo XIV. perscriptum, fides habenda: *Post cuius, inquit, obitum dictus Henricus Leo Dux Saxoniae et Brunsuicensis cathedralem Ecclesiam de Oldenborch translulit in Lubecensem ciuitatem ab Adolpho Comite Holstiae, qui eam primo construxerat, et castrum, quod nunc Borch Monasterium fratrum praedicatorum dicitur, pro munitione ciuitatis erexerat, prece et vi retinuerat dictae ciuitatis incolis I V S M V N I C I P A L E A SPECVL O SAXONVM EXTRACTVM, (*) quod etiam adhuc habent, et libertatem nauigantibus dedit copiose.* At vereor certe, ut habeant, quod ad probandum adducere in confessu virorum sapientissimorum dissentientes queant. Ipsae consultationes Saxonicae ostendunt nil minus, quam Saxonum mores doctoribus Academicis et Scabinis cognitos fuisse. Taedet me aliosque, cum ineptissima plerorumque ratiocinia, cum decisiones confusas, cum iuris Romani febriculosa assultus, cum commiseratione dignissima argumenta paullo penitus circumspicio, quibus interdum meliores opinones sunt suppressae, et auctoritate iuris vtriusque professorum et doctorum electae. Itaque ignoscatis

N 2

(*) Constat aliunde, Lubecenses habuisse iura *Susatiae* ab Henrico Leone. SVSATVM vero primaria Westfaliae ciuitas fuit, teste auctore vitae *S. Meinverci*, et opibus iam Ottonum et Heinrici II. abundans. Qua de re curu dubitandum non sit, cum de Lubecensibus hacc prodat Arnoldus Lubecensis L. I. cap. XXXV. ac Fridericus quoque Barbarossa ciuibus *Susatensia* iura confirmauerit; hinc hand temere concluditur, talem librum, quem *Chronici Holstaci* auctor SPECVLUM SAXONVM vocat, extitisse, antequam Repkouius vitalem auram coepit haurire.

scatis scribenti, si etiam interpretes, quos pro antiquioribus habetis, Saxoniae mores ac leges ignorasse fidentissime pronuntiem. Potius pro certo habendum, Magdeburgicos Scabinos olim Misnensibus atque Lipsiensibus cautores ac solidiores prorsus fuisse. Illi etenim de morgengaba legali nihil habent; sed magis cordate profitentur, de tali dispositione legis nihil sibi liquere, sed tum demum morgengabam pertinere ad feminas nobiles, si quam destinauit maritus. In quo igitur? In sepibus, virgultis, spinis, vallis ac palis? in maceriis? in parietibus sine calce? in lignis, aut ligneis septis, asseribus, trabibus? in pecudibus femellis? O ligneam et agrestem iurisprudentiam! Non id iura Saxonica volunt, non Magdeburgenses, non Repkouius. Villas et praedia dedere viri primarii et nobiles, aedificia, habitationem, mancipia, pecora ad villam pertinentia, agros, pecunias interdum, aurum, argentum; sicuti dedere Allemanni **gezeunte und Zimmere ob der Erde**, et similia. Quare iterum in memoriam contra euntibus reuoco, Sueuos inter nihil hac parte controversiae ortum. Isti quippe sciunt, praedia intelligi et villas, atque aedificia, tuguria, et casas illo antiquo dicta sermone, **gezäunte und Zimmere ob der Erde**. Quo solo exemplo in pudorem dari Mangenfeldianarum glossarum cultores possunt, si veteres tueri fabulas contendant.

§. XXXVIII.

Nec iuuat, statim sequi in prouinciali iure eodem articulo XX. Wo der Frauen der Grund und Boden, oder das Gut nicht beliebe mit dem Gebäu zu ihren Leib, wann ihr Mann stirbt, so soll sie binnien 6. Wochen, nach dem dreystigsten, mit dem Gebau, das ihr zur Morgengab gehöret, reuuen, also, daß sie die Erde



Erde nicht unwende. Erheut sie sich aber das zu lassen, nach der Bauren Kor, jenen daß die Stadt ist, so mag sie es wohl ausgraben, also, daß sie die Erde wieder zueben. Hic sine dubio clamabunt dissentientes εὐεργάπευ: vtut nihil inueniunt, inuenientque. Potius hinc illi inferre potuissent certo, de praedio sermonem esse Repkouio vetera iura tradenti, ac villa, quam tamen vxori suae non destinauit defunctus maritus, sed domus tantum ad habitandum, vt et reliquas casas, in quibus agunt rusticci et mancipia census pro suis tuguriis soluentia. Fac igitur, mulierem nobilem nolle in villa vitae suae tempus transigere, sed alio velle abire, quid tum iuris? Offerat ista, inquit, lex haeredi, aut praedii domino, aut illis ipsis, qui aedificia et casas inhabitant, vt pretium abituriensi persoluant, secundum aestimationem eorum, qui intelligunt, quid sit impensa factum in eius generis fabricas. Si minus, hoc est, si nec aestimari cupiant, nec soluere impendium; tum suo remigio tollat mulier morgengabam suam, in aedificiis et casis pro parte constitutam, ac sine dispendio possessorum auferat tignum, neue ruinis deformetur villa, caua iterum et per effosionem aperta foramina et vacua grumis terrofis, vt cum Vitruvio loquar, compleat. Haec vera est sententia iuris vetusti. Glossa vero inepta iterum et stulta assert, et tigna intelligit aedificiis parandis destinata, aut ad sumimum iam in altum erecta, sed calce, vel argilla nondum firma-ta, nec oblita. Quid? quod etiam rusticis, seu paganis arbitrium aestimandi tribuit, prorsus ac interpres Latinus, qui Repkouius (*) esse nequit: et si forte in sermonem la-

N 3

tinum

(*) Obseruauit hoc doctus VVerlhofius in notitia iuris Germanici seu de iure Germanis patrio p. 172.

tinum speculum is transtulit. Saltem latina, quae vulgo circumfertur, versio et nouissime typis excusa in omnium manibus versatur, ad Repkouium pertinere nequit: quia infinitis non solum erroribus scatet; sed et a Germanico textu dissidet, et alia saepissime loquitur, atque etiam hoc loco cum Mangenfeldianis naeniis illepede conspirat. **Baueren Ror**, aut **Bure Ror**, **Bure Kore**, ut veteri lingua Saxonica exprimitur, nequicquam significat rusticorum aestimationem, seu arbitrium, sed eorum, qui aedificarunt. Hi sunt die **Bauere**, **Bure**, die es gebauet **haben**, vel **Bauverständige**, sicut hodiernus mos fert loquendi. In Gallia eius generis aestimatores **Casticheurs**, **Castitiatores** dixerunt, de quibus Cangius ex Usaticis seu consuetudinibus Ms. Ambian. sequentia profert: *S' il a debat de closture entre aucun voisin, eu d' aucun yretage, li Maires en voira les casticheurs qui sont fermentez a le vile, et verront les lieux dont est debat.* Saxones antiqui **Buw** dicebant pro nostro **Bau**: vnde vix mirum, pro **Bauer**, **Erbauere**, **Bure** legi.

§. XXXIX.

Quibus praemissis iam rogo iterum atque iterum, ut, qui intelligunt, iudicent, an Hallenses Iureconsulti de iure tantum constituendo solliciti sint, nec potius de iure constituto, ac veteri Saxonum consuetudine, quam misericorde deformant Mangenfeldianae iuris lucernae, et legum commentitiarum sacci, non autem pristini iuris promicondi? Desinant illi, desinant nostros sollicitare Hallenses, qui coruos sequi detrectant, neque ex tempore assentiunt dictatis hominum veteris iuris insciorum, multo minus glossarum confectoribus, atque inde depromptis conclusionibus et inficetis expositionibus; quorum fere peritiores coepit fastidire, qui propterea eurematicum excogitando



do nuptias inituris in Saxonia haud temere consulunt, ut certam summam pro illa ficta *Morgengaba*, quam legalem, seu legitimam dicunt, vxoribus futuris promittant, ne de sepimentis ac tigno, et ligno, et variis rebus sub isto verbo latitantibus disceptandi haeredibus necessitas imponatur, et de septem capellis, equabusque gracilentis, aut burdonibus, aut agasonibus equina lis surgat, neue bubeque tandem et rustici tanquam arbitri interueniant, deque vaccis vitulisque ac lana caprina ingens denique controuersia sit componenda.

§. XL.

Ceterum intercedo, ac sapientiores Saxoniae doctores commonefacio omnes, ne me publica eorum iura reprehendere, inter varias suspiciones, opinentur. Intelligo, immo scio, errorem ius facere, qui more ac lege demum stabiliiatur: sed vix etiam illi dabunt vitio, si, quod res postulat, pro academica libertate indicemus, et Mangenfeldianas, aliorumque glossas medios ac nouos sectari interpretes pronuntiemus; quod in pluribus aliis capitibus suo tempore faciam, documentum eo pacto datus, quanto desiderio teneat euoluendi vetustos et patrios mores; sed quam enixe etiam cupiam, ut separantur Romana a Germanicis, vera et certa a commentis, vetusta a nouis. Addo quoque, me hodiernis Saxoniae Iureconsultis neque dicam scribere, neque eorum decisiones acerbe traducere. Inuenierunt illi viam iam tritam, inueniuntque nouis constitutionibus firmatas opiniones veterum iuris arbitrorum: quemadmodum in Magdeburgicis nostris terris consimilia fere obseruamus: quin potius colo illos ex animo, atque aeterna eorum in forum ac rempublicam merita religiose suspicio. At hoc ferre non possum, si quis interpretationes eorum, qui glossas adoptarunt, tanquam
vetusta

vetusto Saxonum iuri congruentes obstinatus tueri gestat. Sat enim scio, falsum hoc esse ; erroremque et veritatem et antiquorem consuetudinem viciisse , et Burchardum et Zobelium et Fachsium pluresque alios sua auctoritate tandem effecisse , vt ne quis auderet amplius de veterum interpretum male coctis adsertis dubitare ; multo minus mussitare , aut tandem aliud , quam receptum , eloqui.

§. XLI.

Quod etiam si incredibile videri multis possit, cum nobiles iura sua haud facile dimittant, sed maiorum institutis tenaciter inhaereant, faciam tamen, vt et hic scrupulus tollatur, atque in speciem validum argumentum in auras vanescat. Probe etenim est tenendum, nobiles viros tam e prima ac secunda, quam posteriori classe partim expeditionibus sacris interfuisse, partim sacris peregrinationibus locum dedisse; ac patres et auos saepe occisos, peste et fame extinctos, antequam succreuere nepotes, quos interea in summa ignorantia educatos nullis litteris, multo minus iuris scientia imbutos scimus; adeo vt mirari vix subeat, hisce potissimum tam peregrinas interpretationes ab illis potuisse obtrudi, qui se veteres habere leges gloriabantur, inque fori tritura longo temporis vsu se dicebant versatos. Quorum virorum iurisdictiōnem et decisiones cum nobiles inferiores tanquam oracula agnoscerent, et agnoscere quoque cogerentur, constigit tandem, vt sepes, fudes, tigna, aut potius ligna ad aedificandum destinata, et pecora nonnulla vxoribus post obitum relinquenter: contenti interea post inchoatum confortium, et perfectas nuptias dilectissimis maritabus donasse catenam, aut margaritas, aut gemmam; sive existimantes, se veteri more vivere modoque: cum interea



terca in foris atque cathedris distinctio stabiliretur inter morgengabam legis et conuentionis: quam postrem antiquorum Scabinorum Magdeburgensium chorus solam admittebat; *legalem* et Lipsiensibus Scabinis ac doctoribus denique approbatam plane respuens. Ceterum ne quis fabulas me loqui nouaque commenta de nobilium inferiorum ignorantia et obliuione in medium proprie*ci*re suspicetur, probabo hanc conjecturam, eoque pacto verisimiliorem reddam Monachi de Rastede, qui iussu Comitis Ioannis Oldenburgici, saeculo XIV. Speculum Saxonicum descripsit, testimonio, quod in Chronico Oldenburgensi Hermannus Hammelmannus excerpit: *Anno Domini 1336. completus est hic liber, qui dicitur SPECVLVM SAXONVM, per manum Henrici Monachi de Rastede, dicti Gloyesteen, quem librum Ioannes Comes in Oldenborg scribi fecit, non quod vellet profusiis militaribus noua introducere iura multa vel statuta, sed pro eo tantummodo, quia suis temporibus fere omnes milites et militares sui domini*nii* seniores moriebantur, ita quod per absentiam illorum iura parentum suorum fuerunt viuentibus militaribus tunc existentibus multum incognita, et in ipsis iuribus saepe claudicabant. Item pro eo, ut si aliqui militares super quacunque re fierent discordantes, ita quod sibi ius Saxonum eligerent, praesentiam istius libri huiusmodi rei et causae, pro quibus fuerunt discordantes, parare possunt suis laboribus et expensis. Iste Ioannes erat filius Ioannis Comitis de Oldenborg, et Dominae Elisabethae, filiae illustris principis Ioannis Ducis de Luneburg, cuius Comitis honorem Deus in terris amplificet, eumque in coelis collocet post mortem inter agmina beatorum. Amen.* Principes magni vero et illustres viri, qui in tabulariis suis veteres formulas custodiebant, et maiorum suorum libellos dotales inspicere poterant, nec tam frequenter, quam mili-

O



milites inferioris ordinis cadebant, et consiliarios habebant, neque etiam ad minorum iudicium, aut interpretum definitiones seruandas obligabantur; quin destinata vxori-bus compendia litteris ipsimet sigillatim exprimi iubebant, a lignea inque sudibus et vallis consistente, eoque palari et femmeis animalibus constante ac pecuaria morgengaba facilius sibi, quam ceteri, cauentes.

§. XLII.

Sed tempus est, ut nunc tandem indicemus, quare MORGENGABA tam varia nomina acceperit, ac plerique de illo munere confusas sibi notiones formauerint. Atque id inde accidisse, quod illa in donationum numero sit, quae occasione nuptiarum, vel coniugii fiunt, paucissimique reperiantur, qui fines harum largitionum exacte comprehenderint, et plura hinc nomina enata curate distinxerint. Quotusquisque enim est, qui ex variis comparationibus, atque, ut in scholis loquimur, relationibus diuersa oriri nomina, et orta reapse cogitet? Qui fines alicuius negotii bene ponderat, is etiam sollicitum gerit de nomine certo huic negotio imponendo. Sed non circumspexere inepti sacerdotes, ac veterum tabularum confectores et scriptores, a pristinis formulis receudentes. Hinc rarissime proprium vnicuique in causa nuptiali negotio nomen tribuebant; sed generali modo loquendi vi Romana Germanicis et haec illis turpi mixtura confundebant; maxime cum Bononiae ac Parisiis in iuris studium incumberent, et decreta Pontificum, iusque Romanum in foro receptum ac variis glossis iam deformatum ut plurimum sectantium, discerent. Inde factum, ut illa emtionis pretia ac dotes, et matutina munera promiscuis saepe vocabulis extulerint, et sponsalitias largitates, sponsalitia, dotes, dotalitia, antipherna atque omnia iterum

AEYI-



Δενησ, hoc est, generali ac communi donationum propter nuptias nomine signauerint, nemine fere doctorum, quos audiebant, quorumue sputa lambebant, ob fines diuersos auctus illos dissonos et differentes secernente. Atque haec cauſa est, quare e chartis ac diplomatisbus ineptissimorum scribarum parum saepe solatii anhelantibus impertiatur, si sola vocabula spectentur, nec, quibus modis circumscribantur ac definiuntur, probe consideretur. Perinde enim hic ſeſe res habet, ac si quis omnibus contractibus ſolum pationis, aut confeſſionis in idem placitum nomen tribueret, nec contrahentium fines circumſpiciens ſemper affirmaret, conuentionem inter Paulum et Meuium eſſe initam: cum e contrario homines curati probe intelligent, aliud me animo intendere, si mutuum, aliud, si commodatum, aliud, si emptionem, atque aliud denique, si conductionem inire cupiam. Ita aliud eſt acquirere ſibi *sponsam* certo munere, aliud firmare *societatem matrimonialem* iam perfectam nouo dono, et aliud denique *proſpicere* in futurum mulieri vidue.

§. XLIII.

Sed illi vero vniuersos actus nuptiales iisdem ſaepe vocabulis notant. Saltem certifimum eſt, eos quandoque MORGENGABAM appellaffe donationem propter nuptias, sponsalitium, sponsalitiam largitatem, dotem, augmentum dotis: ita ut nunc Oedipo ſaepiffime opus fit, quid in tali charta, aut diplomate indicetur. Occurrunt apud Petrum de Marca in *Marca Hispanica* et codice huic egregio volumini adiecto varia instrumenta, in quibus vox SPONSALITIVM inuenitur. Si ex contextu iudicandum, negotia illis litteris expressa MORGENGABAE ſane similia videntur; quia bona nominata in proprietatem futurae vxoris transcribuntur: vtut ſemper du-



bium relinquitur, an forte Catalani et Nauarraei, veterum Gothorum portio, in vnam summam, aut praestationem largitiones nuptiales omnes compingere sategerint? Vnum, quod apud CATELLVM in *historia Occitanie* inueni, satis clarum reddit, sponsalitium a dote maritali consueuisse distingui; nec in iocalibus, aut minuto emptionis, aut donationis pretio, sed in immobilibus rebus et terris constitisse, quas SPONSALITII nomine Rex PETRVS Aragonius Mariae haeredi et Dominae Montis Pessulani solenni diplomate addixit lib. IV. de *l' histoire de Languedoc* p. 669. EGO PETRVS Rex Aragonis, Comes Barbinone in Dei nomine recipiens te MARIAM in legitimam coniugem cum praedicta DOTE, et me tibi tradens in virum legitimum dono, et concedo tibi in DONATIONEM PROPTER NVPTIAS et in SPONSALITIVM tuum totum Comitatum de Rossilhon, cum omnibus villis et castris, dominationibus, hominibus et suis pertinentiis, et generaliter totum hoc, quod habeo et habere debes a fonte de Salsas usque ad Clusam: tali pacto scilicet et tenore, quod simbi superuixeras habeas hdec omnia, et teneas in omni vita tua, et post mortem tuam eisdem pactis AD LIBEROS COMMUNES superstites, vel ipsis defientibus ad propinquos meos reuertatur.

§. XLIV.

Et fatentur Iureconsulti Hispani sponsalitium hoc morgengabae nostrae simile esse: quod prouinciali lingua SCREIX vocetur. Nescio, vnde nominis huius ratio. Si certum foret, Graecorum colonias in Iberiam venisse, dicendum fortassis, esse id corruptum Graecorum ομοιός, dos. Sed vereor, vt id affirmandum sit absolute. Potius Arabes, qui in has oras, uti notum, ex Africa transferrunt, multasque voces ex suo idiomate Hispanis reliquerunt, RICK diuitem, item primum, primitiuum dicunt.

Vn-



Vnde dubium, an forte Catalani et Hispani primum illud donum perfectis nuptiis coniugi proprium hac voce expresserint, verba saepe dentibus deformantes, ac sine anhelitu frangentes. Obseruauit hunc sibilum in suis Iosephus de Moret Iesuita Pompeiopolitanus in libro, quem praescripsit: *inuestigaciones historicas de las antiguedades del Reyno de Navarra l. I. cap. V. p. 108.* TODAS las gentes Orientales quiebran en la garganta la lengua y las palabras, como los Hebreos, y los Syros. Las gentes Mediterra-neas hieren en el paladar las palabras, como los Griegos, y Asiaticos. Todas las gentes Occidentales quiebran en los dientes las dicciones, como los Italianos, y Espanoles. Respondent haec Isidori Hispalensis verbis, quae libro IX. *Ety-molog. cap. I.* leguntur. OMNES autem Orientis gentes in gutture linguam et verba collidunt, sicut Hebraei et Syri. Omnes Mediterraneae gentes in palato sermones feriunt, sicut Græci et Asiani. Omnes Occidentis gentes verba in dentibus frangunt, sicut Itali et HISPANI. Eadem fere Iosephus Scaliger in libello de linguis Europaeorum habet, nempe Vascones atque Hispanos sine gutturali anhelitu verba sua pronunciare aliisque litteris adscitis mitigare, ut lenior et suauior efficiatur sonus: coque e Reicks illud peregrinum et Hispanicum *Screix* facile potuit prouenire. *Ἐν παρεόδῳ μονέο,* nec Sardis incognitum esse Vasconum *Screix.*

§. XLV.

Ceterum ferendi adhuc sunt, qui MORGENGABAM dotem quidem, sed MATVTINAM vocant. Ex adiectione enim intelligitur; quid indicetur, quod due ius tali donationi sit accommodandum. Neque vero, quod iterato moneo, semper ex argumento huiusmodi tabularum patescit, qualis species insit. Sic in *historia Aluerniae*, magnifico



fico STEPHANI BALVZII opere, inter varias chartas, plures reperiuntur, in quibus dicitur, feminam illustrem habituram mortuo marito et *dotem*, et *sponsalitiam largitatem*. Quid est iam sponsalitia largitas? Nihil sequitur, quod antecedentia in clariori luce constituat, neque verbulum apparet, quod dotis generale nomen exponat. Ac hariolator egregius sane is erit mihi, qui ex variis in eodem opere chartis, vbi *maritagii* vocula occurrit, sensum verum iuridicum eliciat. Etsi enim non sum nescius, *maritadium* apud Anglos et Gallos saepe significare *dotem*, quam femina adfert; nequaquam tamen incognita sunt in Galliis statuta, vbi *maritadium* *dotem* et *donationem* propter nuptias promiscue exprimit, quod etiam Cangius animaduertit. Nam igitur sententiam feras, et certum exsculpas vindique, rogo. De cetero id in Anglia certum, ea quae maritus adfert vxori, **DOTEM**, quaeque marito coniux, **MARITAGIVM** nominari. Sed sub dote interea saepissime iterum latitat Morgengaba; ita ut summo studio adnotanda sint documenta, vbi distinctiores hisce de rebus notiones, illisque respondentia nomina apparent. Sabaudi, teste Antonio Fabro *Cod. de don. a. n. defin. 3.* nostram morgengabam *augmentum dotis* vocant: olim rectius *morganaticum*. Est enim et istud vocabulum ambigui usus; recordorque, me in *Historia Bearniae laudatissimi Petri de Marca* tabulas legisse p. 661. vbi augmentum dotis non illam morgengabam nostram, sed quod Patris liberalitas doti filiae addidit, certissime significat. Vnde concluditur, Germanos nostros diligentius aliquando in instrumentis suis morgengabam a donatione propter nuptias, dotalitio et dote secreuisse, atque secernere etiam nunc, quam gentes aliae: quod formulae probant et tabulae quamplures recentiores. Sed multa tamen occurrunt documenta, vbi neutrum licet accurate discernere; hincque sine dubio

con-



contigit, ut multi morgengabam pro mera et solitaria Germanorum dote habuerint: quia deprehenderunt quandoque, dotem in publicis instrumentis nominari. Enim uero sicuti non sola nomina, sed ipsa res est consideranda, nec omnibus tabulis, quas idiotae saepius variorumque iurium confusione perturbata capita scripsere, fidendum est; ita a praecipiti iudicio et ad sensu temperare sibi omnino debuissent, qui rectius agere haud dubie intelligunt vnamquamque rem a fine suo atque natura moraliter denominantes, et *χαρακτηριστικάς*; in primis cum neque nobis desint nomina, neque maioribus desuerint nostris. Vnde etiam haud parum mihi displicet, ipsum Petrum de Marca, qui dotem Francorum a *Morgengaba* optime separat, hanc tamen generaliter donationem propter nuptias aliquando insignire.

§. XLVI.

Restat, ut de osculo adhuc simus solliciti, quod nominis in Gallia frequentatum legimus. Nemo ambigat osculum et osculum eodem recidere. Et supra vero cum de Friderico III. ageremus, non sine causa adnotauimus, Fridericum Eleonorae sponsae osculum fixisse in thalamo, quem dicis causa strui iussit; simulatque adfirmasse, ea ratione Teutonico more sponsam cum coniuge commutari, Principesque sic primum iungi, cum ceteri de plebe homines illico ad rem veniant nudi. Quod si est, non habet sine sat rationis Carolus Cangius, quando ad Romanos mores conuolat, et inde osclei vocabulo, quaeque sub illo latet, rei adfundere lumen molitur. Etsi enim neutiquam inficias eo, etiam in sponsalibus Romanorum aliquando oscula lata, et sponsae pudicitiam prodimida fere parte sic visam multis imminui, aut etiam pro pignore τε κωναρίματος της συγγενείας habitum; non est



est tamen meo iudicio necesse, ut vel ex Codice Theodosiano, vel Iustiniane id moris repetatur, aut ius sponsaliorum auctum singatur. Constat quippe, osculo tandem Germanos ipsum matrimonium consignasse; ut esset quasi fœderis, et amicitiae interioris sacramentum, ac fidei intemeratae certissima tessera. Ita rectius multo intelliguntur chartae ac diplomata de OSCLEO apud Cangium aliosque occurrentia: utpote in quibus sponsalitio, dotalitio ac donationi propter nuptias iungitur. Nescio, an hoc referendum sit latum Theudelindae Langobardorum Reginae celeberrimum suauium, quo Agilolfum simul maritum ac Regem fecit? Esi enim Paulus Diaconus cum aliis fide dignis scriptoribus diserte hoc tradit; eoque de veritate facti minime dubitandum est; tamen id potius sponsale, quam matrimoniale osculum videtur. Paullo enim post demum nuptiae solenni ratione leguntur celebratae, hoc est, post consensum thalamum, accensaque faces te iuncta per amplexus corpora: ut proinde non ausim, aliorum more, ad ea, quae recensuimus, oscula, et osclea id exempli aggregare.

§. XLVII.

Vnum, sed singulare de Visigothis adhuc adferendum est. Ut enim tales donationes, OSCLEA, SPONSALITIA, MORGENGABE vxori nouae die nuptiarum ac votorum solenni repraesentari consueuerent; huius tamen populi leges toto post nuptias anno similes fieri donationes permisere; quo finito omnes id genus donationes cessabant, atque si fierent, irritae erant. Reperiuntur hanc in rem integræ litteræ in Petri de Marca *Marca Hispanica* p. 1105. quibus Raymundus Comes Paliarensis Valentiae Coniugi a. CIOLVI quædam intra illud annui temporis spatium donat, unde sequentia cum Lectore communicabimus:

Ego



Ego Raimundus in nomine Domini Comes Piliarenſis donator sum tibi uxori meae Valentiae Comitiffae. Quia legibus est decretum et in tertio libro LEGIS GOTHORVM videlicet in primo titulo eſt scriptum, ut vir iam habens uxorem, transacto ſcilicet anno, pro dilectione vel merito coniugalis obſequii, ſi ei aliquid donare voluerit, licentiam incunctanter habebit, et aliter infra anni circulum nihil ei dare poterit, quod ipſa habere poffit, idcirco ego iam dictus Comes elapſo et transacto anno poſtquam te accepi in coniugio, a nullo coactus neque ſuafus, per meam bonam voluntatem propter amorem et dilectionem, quam circa te habeo, legaliter de meis rebus hoc tibi dono atque concedo. Dono namque tibi per hanc meae donationis scripturam caſtrum de Muro, cetera.

§. XLVIII.

Atque haec ſane illuſtranda e huic materiae ſufficerent, niſi tollendum reſtareret dubium, quod totam ſubruere tractationem noſtram poſſet. Forte enim arguet aliquis, me quidem accurate oſtendiffe, morgengabam fuſſe diſcretam a dotalitio, non autem a dote: haecque toto coelo diſſerre. Cui repono, perperam adſeueraſi, nondum eſſe oſtentam diſſerentiam morgengabae a dote. Quorū enīm pertineret locus e Gregorio Turonensi? quorū Marculphi formula? quorū tot loca ex omnium fere Germanicarum gentium legibus? Deinde vero non nego, me dotalitium illuſtrium seminarum certo ſenu pro vicaria virorum dote ha- buiffe. Nam dotalitium hodieque omnes fere Leibgeding appellant, Leibzucht, Versorgung, quemadmodum dos antiqua, priuquam dotalitii vox audita, non ſolum idem nomen tulit; verum etiam ſimiſ fine a maritis uxori praefstabatur. Itaque dotalitium in locum illius dotis conuen- tionalis, vtut cum emblemate, ſeu adiectuo, vtique ſucceſſiſſe videtur. Iam ſumo: morgengabam non eſſe dotalitium;

P

quia



quia disertim tum leges, tum chartae (*) separant: quin amplius pono, dotalitium non esse donationem propter nuptias, quia *Wittum*, quod tantundem valet, ab hac specie distinguitur, et alterius plane naturae est. Vbi, vbi enim in donatione propter nuptias obseruatur duplum, vel quadruplum? Ergo si dotalitium donatio propter nuptias non est, nec morgengaba proprio dissentientium iudicio; certe dos erit. Si dos, iterum discrepabit a morgengaba; imo dos atque dotalitium, quae idem sonant, ad aliud omnino genus pertinebunt. Ex quo relinquitur, omnia haec tum ratione finium distinguui, tum ratione praestationis, tum dominii ac fruitionis. Donatione propter nuptias vxor nequaquam fruitur, sed eam tanquam pignus doti aequale habet. Dotem vero post mortem mariti accipit, sicut dotalitium, et fructuario iure vtitur; cum vicissim Morgengabam viuo marito iam seruet, eaque fruatur, et iure proprio statim post concubitum teneat, aeternumque retineat tanquam amoris coniugalis et communioonis arclissimae primam tesseram, ferme, ut est in formula Henrici Brulæi ICti de renunciatione filiarum caus. 3. cap. 2. Nos Petrus damus quoque et numeramus post primum thalami ingressum Coniugi nostrae, amicabilis compensationis (**) et recreationis gratia, duo millia imperialium cum liberrima administrandi potestate, in tantum, ut de hisce nummis libere disponere, eamque, cuicunque velit, etiam extraneo, donare, legare, vel tradere possit. Plura non addimus, sed ad alia properantes conclusiones primarias de morgengaba tam veras quam falsas excutimus.

CAP.

(*) Euolue, si lubet, Mülleri part. IV. Secretarii Politici (Staats-Cabinet) cap. I. vbi Wilhelmus Friderici Placidi frater separatis libellis dotalitium et morgengabam Annae Coniugi Alberti II. Imperatoris filiae adsignat.

(**) De hac compensatione infra nonnulla adnotabo: putoque a recentioribus scholis etiam Brulaeum esse deceptum.



CAP. IV.

CONCLVSIONES PRAGMATI-
CAE DE MORGENGABA PARTIM
VERAE PARTIM FALSAE.

§. I.

Vera est illatio I. *Feudum ex regula in morgengabam non posse dari.* Etsi enim prohibitum non est, dari res mobiles et immobiles, corporales atque incorporales; tamen cum certum sit plenum dominium transire in vxorem: et vasallus vero plenum dominium non habeat, neque etiam vtile sine domini sufficienti consensu alienari possit; hinc per se patet, frustra res beneficiarias huic fini deputari. Nec muto decisionem, quamlibet feudum quodammodo haereditarium vocetur. Constat quippe, haereditarii feudi quamplurimas inueniri differentias. Sunt talia atque appellantur, quae masculorum et feminarum promiscuam successionem admittunt, aliqua ad successores ab intestato transferuntur: de quibusdam licet inter mortuos disponere; inter viuos non item: de aliquibus in utrumque casum. Ergo in reliquis omnibus frustra morgengaba constituitur: in sola extrema specie licet. Hoc namque donum eius naturae est, ut liberrimum in eo alienando arbitrium habeat mulier. Ex quo fluit, ut non nisi in eius generis feudo, quod a patrimonio parum differt, et quod plenissime haereditarium est, relinquī possit. Ac persisto in proposita sententia, etiam si Dominus supremus, seu directus consentiat. Aut enim hic cupit, ut feudum, quod sic permittendum vxori, maneat feudum ex pacto et prouidentia maiorum, aut qualitatem feudalem exuat. Si prius, inhabilis est illares, ut



fiat *morgengabe*: quam pleno iure sibi vindicat femina. Sin posterius, tum certe non amplius erit feudum, eoque pacto feudum tradetur nequaquam, sed res ab omni nexus libera, sed allodium, (*) sed fundus optimus maximusque: nisi quidem eo aliquis iterum delabatur, amittere tale feudum Domini voluntate omnes qualitates beneficii, excepta sola fidelitate. Et tum vero recurret responsio, feudum plenissime haereditarium futurum eo modo materiam doni antelucani tandem: de quo iam diximus. Ceterum per se intelligitur, Dominum quidem ita praeiudicaturum sibi, non autem agnatis aliisque, quibus ius quaeſitum est. Vnde noue cogitur, et horum consensum in feudo antiquo necessarium videri, si morganaticum ius exercere plenissime vel viuo, vel mortuo marito cupiat in re, quae vel feudum fuit, vel haereditarii beneficii plenissimam naturam induit, eoque pacto ad agnatos non nisi fortuito redibit. Ceterum caue putas, Morgengabam non etiam ex feudo posse solui. Eſi enim raro id fieri solet; tamen euenire potest atque aliquando actu euenit. Habet exemplum Lynkerus in *Resolut. Iurid. Ref. DLXXXVI.*

§. II.

Quod si quaeras, quare igitur dotalitium in feudo constitui queat, tunc repono, quia mortua vidua ad dominum reddit:

(*) Hinc Tancredus Atestinus, qui se Marchionem Langobardorum vocat, et Hugonis filius erat, apud Muratorium in *antiquitatibus Eſtensis* seu *Atestinis* p. 332. vxori suae Gota in testamento feuda quaedam iure allodii hisce verbis relinquit: *Volo etiam, ut vxor mea Gota habeat in ALLODIVM feudum Hugonis Talamassi, et feudum Graſſe de Runcho NOMINE scilicet MORGINCAP.* Leguntur plura hoc in documento scopo nostro congruentia; sed breuitati studemus.



redit: vtut ad tempus dominii vtilis vidua femina particeps redditur. Deinde lubens consentio, etiam ad tempus secundum ius strictum dominium feudi vtile in vxorem transferri non posse; sed quia Fridericus II. Neapolitanis et Siculis Francorum more viuentibus Lib. III. Tit. XV. id permisit, in mores tandem (*) iuit, vt sine domini permissione etiam in beneficiis ac feudis dotalitium constitueretur, in primis cum dotalitii fruitio efficiat, vt dos remaneat in fundis

P 3

clien-

(*) Haud temere adieci *tandem*. Multum enim temporis effluxit, antequam in Germania sine consensu Domini vxoribus suis dotalitia constituerent. Refert Schilterus de Ruperto Rege, eum Dynastae *de Hoheneck* peculiari indulgentia permisisse, vt *feudum suum burgense* in dotalitium daret (vid. *Commentar. ad Jus Feudale Allemannicum* p. 187.) Copiosius vero doctissimus Ioannes Ioachimus Müllerus part. IV. cap. I. *Secretarii Politici* demonstrat, in feudis regalibus non solum consensum Caesaris, verum etiam inuestituram fuisse petitam, et obtentam: quid? quod illustribus feminis tutores refert datos, atque simili ratione inuestitos. Ac, ne cui in mentein venire commentitia ratio possit, inoleuisse huiusmodi inuestituras propter regalia iura simul concessa; subiicit ille quoque de feudis nobilibus, et non regalibus exempla. Quae res facit, vt serius consensum dominorum in desuetudinem abiisse suspicer; atque saeculo potissimum XV. cum iura ciuilia et feudalia plenis velis ex Italia in Germaniam irruerent, et Neapolitani Doctores in primis suspici coepissent. Deinde vero vix negabo, etiam opinionein, vtut falsam, huic mori *stabilendo* ansam dedisse, dum hodieque autumnant permulti, in dotalilio merum *vsumfructum* mulieri permitti. In *vsumfructum* autem Domini consensum atque inuestituram pro superfluo merito haber. Ex quo ortum, vt multis in terris ac regionibus Germaniae dotalitia vxoribus sine speciali consensu Dominorum constituantur.



118 CAP. IV. CONCLVSIONES PRAGMAT.

clientelaribus, siveque non imminuantur, sed potius augeantur. Quae ratio pervicisse videtur, quare mulier dotem suam amittat, si eligat dotalitium. Neque enim fas est, ut sine vello commido solum oneretur feudum; quod propter seruitia primario datur. Dotis autem amissionem facile concoquere potest, quia tum ob mariti dotem, quam donationem propter nuptias vocant, tum dotem propriam duplicatis usuris seu redditibus, atque ita quadruplicatis cumulatur. At in morgengabares longe aliter est comparata. *Morgengabae* nunquam reddit ex ordine ad dominum, multo minus ad vasallum. Quod si quis arguat, posse dominum consentire ad tempus; tum reueniet quaestio, vtrum consentiat, ut plenum vxor dominium habeat, an ut minus plenum? Si prius, tunc dominus non erit tempore intermedio dominus, eiusque dominium extingendum foret vtique. Sin posterius, sane mulier non fruitur plenissimo eius rei dominio; adeoque non habebit morgengabam, quae tali priuilegio est munita. Nec erubesco adfirmare, etiam intermedio tempore non effecturam huiusmodi concessionem, ut sit morgengaba, quia alienare ac pro lubitu in quemque transferre nequit. Ergo morgengaba maxime impropria nasceretur. Impropria morgengaba vero non est morgengaba recepti usus, sed pactis ita circumscripta, ut eius ordinariam naturam vix agnoscas.

§. III.

Quod vtcunque sit, probo interea hanc II. consecutionem: *Matrem etiam, praeteritis liberis, donum suum in alios pro arbitrio transfundere, nec marito ius esse alienationem impediri.* Nam cum plenissimam proprietatem consecuta est Faustina in rebus *morganaticis*, maritus autem rem donatam et a se dimissam repetere iure nequeat: hinc iterum concludendum, et liberorum et patris ac comparate mariti actionem futuram inanem. *Pacta in contrarium inita ad quaestio-*
nem



nem non pertinent. Quin nec vetusti mores obsistunt, vt ut in speculo Saxonico dicitur lib. I. art. XX. seq. *Die Frau erbet die Morgengab auf ihre Erben, und mag damit thun und lassen, was Sie will.* Aber Leibgeding nicht. Vocabulum *Erben* adeo late patet, vt liberos quoquaque et consanguineos et amicos denotet, quibus vxor sua tam inter viuos, quam mortuos relinquere pro lubitu potis est. Vnde haud male rationes Mylerus cum aliis init, quando morgengabam e priori matrimonio acquisitam ad liberos e secundis nuptiis suscepitos transferri posse existimat. In Gelria fieri quidem hoc nequit, si ipsa liberos habeat, aut ante maritum decedat; obseruante id Antonio Matthaei in *paroemiis* p. 68. Sed vix infringunt statuta specialia ius *morgengabae* vniuersale. Nec incertum habeo, Gelros hac parte ius patrium cum Romano permutasse, legem 18. *Cod. de donat. ante nupt.* pessime rebus domesticis applicantes. Quid? quod ausim dicere, etiam ad proximam cognatam neutiquam iri delatum morgengabam, et si in vtenilibus consistit, quia plena proprietate, ac singulari et priuilegiario iure vxoris est. Proxima cognata vero, quae ordinario iure Saxonum succedit, non ita augere ius suum ex lege poterit, vt accipiat, quae sunt viduae praeter ordinem, inque quibus priua prorsus atque peculiari praedita est facultate. Nec ambigo, quin etiam nonnulli Saxonici doctores in hoc conspirent. Saltem Barthius in tractatu Germaniae *de gerada aliisque feminarum iuribus* eo inclinat, cumque eo plures. Quod si dixeris, futurum ita, vt nec legitimam inde liberis relinquere cogatur mater, facile respondeo: iure Romano testamentariis in caussis inualecente, ad quod respiciendum sine noua lege, primum in morgengaba ius hac parte, quando testamentum condere vult mulier, videri suspensum. Quod secus est in vtenilibus, seu *gerada* proximae cognatae relinquendis: de quo nihil disponunt Romanae leges, nec

morgen-



morgengabico iuri contrarium sanciunt domestica statuta: vtut varie hic dissentiunt aliqui.

§. IV.

Infero porro et III. concludo: *Maritum nihil in morgengaba seu praedio hoc ex capite donato mutare posse, nec faciem fundi vertere, nec seruitutem alii concedere.* Est enim huiusmodi fundus, respectu mariti, res plane aliena. In re aliena vero nemo seruitutem constituit, nemo hypothecam, nemoque vel tantillum iuris in rem transferre in alterum potest. Ideo etiam *vsumfructum, vsum, habitacionem* in alium sine maritae consensu transcribere nequit: idque prohibitum censeri omnino debet. Dico sine *consensu maritae*. Neque enim Sabaudicum ius vniuersale est, nec rationibus Germaniae penitus congruit, vt nec pactis aliquid mutare ipsa femina queat. Vbi nulla legis prohibitio, ibi libertas: et vbi haec, pactorum sane vincula non sunt nullius momenti efficientiaeque. Sed licet tamen marito, constante iam matrimonio, morgengabam vxoris augere. Vnde vix haesito, posse eum fundo muliebri morganatico seruitutem acquirere; vt tamen fructus ad illam redeant: quemadmodum etiam minime dubitandum, quin, si Rex territorium coniugi hac ex caussa donauerit, metallifodinae omnes, et redditus inde vxoris sint: nec maiori disquisitione indiget, si Princeps imperii terram allodialem in morgengabam illustrissimae lecti sociae pleno iure daret: vtut hodie haud facile fieri solet, cum plerumque certa pecuniae summa muneri suo modum figant. Dico *pleno iure*. Alioquin enim per se constat, iura illa summa videri excepta.

§. V.

De cetero quaeri dignum, an faciem fundi sic donati mutare nequeat maritus, si melior tali mutatione reddatur conjugis conditio, puta si hortus in agrum vertatur, et fructuum inde portio reddituumque maior quantitas conficiatur?

Et



Et credam, non posse absolute affirmari hoc *gītημα*. Neque enim satis est, redditus augeri; cum potius eo redeat quaestio[n]is summa, an magis coniugi placeant horti aprici, violaria, rosaria, pomaria, floralia? Neque enim amplius utilitatis ad vxorem pertinentis arbiter est maritus, sed illa ipsa debet arbitrari, et suo iudicio frui. Certe illustres feminae saepius aliquot florenorum centena vix aestimant tanti, quanti faciunt iucunditatem, commodaque ex horti amoenitate speranda et percipienda. Vnde vix dubitem, refundendum fore a marito id, quod interest, coniugi, aut ab eius haeredibus, si illa inuita aliquid mutationis euenerit. Quomodo vero aestimatio instituatur, aliunde e iuris principiis suggeritur: constatque certe, iure iurando tandem in item locum futurum, si tenaciter tueri iura sua cupiens nullum compositioni locum relinquat. Simili modo nec permutare morgengabam licebit: cum permutatio sit alienationis species.

§. VI.

Sed amplius dubitatur, num, si ipse egeat maritus, nec habeat, vnde alatur, laxanda sit facultas tum ratione fructuum, tum alienationis, hoc est, an maritus retinere fructus, aut si maior necessitas vrgeat, et liberorum educatio nec rite obtineri, nec ipse cum familia digne viuere queat, in aliam plane transcribere totam morgengabam possit? Et certum est, non adeo facilem solutu[m] videri hunc iuris nondum. Colliduntur hoc loco bina iura; totaque eo recidet caufsa, an alere marita coniugem obstringatur ad incitas redactum? Nihil hic iuuant notissima iuris: maritum ad alendam vxorem liberosque obstringi; in vxorem vero hoc onus neutquam recumbere. Ponimus enim necessitatem, ponimus nouercantis fortunae insultus, ponimus liberorum necessariam educationem, impendia interea et sumptus requiren-

Q

tem,



tem, quos ad egestatem sine sua culpa redactus praestare nequit. Hisce vero ita constitutis neutquam verecundamur adfirmare, etiam morgengabae non esse adscribendum ius tam seuerum, ut maritus ex illis rebus non sit sustentandus. Sane necare videtur maritum, quae eum ad egestatem extream redactum non alit: in primis cum nulla ei facultas sit acquirendi maiorem copiam. Deinde in vulgus innotescit, etiam matrem, si bona mariti non sufficient, vel iuris sensu nulla amplius fint, nec auus, nec maiores habeant, quod erogent, educationis onera ferre debere. Accedit, quod, quemadmodum ipsa femina dotem illatam in domum mariti repetere potest, si parentibus sit consulendum, si liberi prioris matrimonii ab hostibus redimendi, si aes alienum persoluendum; ita certe iniquum foret, si pereunt marito de suis rebus nihil largiri, et vacua ab amore, vacua ab omni misericordia, liberorum ac fidei coniugalnis oblita fortunae iniuriis expositum relinquere sine ope contendat. Sed id vero per se capit, facultatibus mariti luculenter postea auctis, restituenda omnia; cum tunc necessitas cesseret, quae nec legem, nec priuilegium contuerit, sed omnia fere iura extinguit, quamdiu durat.

§. VII.

At si sine caussa maritus alienauerit, seu oppignorauerit ea fini donata, tum ex more admissaque hypothefi constat, vel maritum, vel eius haeredes ad reparationem vtique obligari. Duntaxat quaefitum memini, an si negent haerdes, vxori, quod petit, huius iuriurando decisio sit committenda, sicut veteri Saxonum Allemannorumque iure decernitur. Mylerus ab Ehrenbach, cui parui iudicij libella est, tricas hic necit, et ad sacramentum illico admittere coniugem detrectat, nisi aliae coniecturae suppetant, ei aliquid, hoc intuitu, a marito vel datum, vel promissum. Probe enim



enim pensitare debuisse Mylerus, homines primarios et nobiles ex ordine sueuisse vxoribus suis antelucana munera ferre. Ordinarium praesumitur, eoque aliis coniecturis nullis opus est. Sed is vero inepte argutatur, quando promissionem augmenti dotis facti; et facta autem probanda adstruit: alioquin non defuturum ius, sed probationem: idque legibus Romanis absone illustrat cum Antonio Fabro in *Gnomologia cap. XVII. p. 439.* Neque enim dubitatur, promissionem ac praestationem morgengabae esse facti, sed id potius in quaestione est, an sit facti ordinarii ac recepti? Quod si est, onus probandi sane evanescit: immo potius facti est rari, maritum nihil promisisse, nouaeque nuptiae donum consuetum atque maritalis charitatis arrhabonem praeter morem subtraxisse. Itaque ius Saxonum antiquum et Allemannicum haud dubie vincent, iuriandum mulieri, nisi quid noui, simpliciter imponentia: ut Antonius Faber ICtus alioquin acutissimus et pragmaticus in contrarium multa mouet ex peregrino iure, quod hoc loco iusto contemptu exsibilamus.

§. VIII.

Quibus bene ponderatis nullo negotio demum intelligitur, quid respondendum sit, si in publicis illustrium personarum tabulis occurrant verba: nach Morgengabs-Recht? quemadmodum Lunigius, cuius merita et industria ad posteritatem satis commendari nequeunt, in *spicilegio seculari*, quod agit de *Comitibus Imperii*, vnam inter Comitum Erpacensium tabulas exhibit, in qua iterato repetit Comes Georgius, se filii sui Coniugis Ioannae Oettingensi Comiti destinasse mille florenos nach Morgengabs-Recht: quod sane aliud nihil est, quam proprio iure illam summain ad nurum suam transfiguram, ita ut interea fruatur redditibus, donec tota quantitas reapse exsoluta in manus eiusdem proprio iure consignetur. Simile exemplum, et, quod no-

Q 2

stiae



strae opinioni valide opitulatur, idem Lunigius inter tabulas
 Comitum Franconiae *de Castello* suppeditat, recentem
 imperii praxin illustrans. Comes etenim Fridericus Ma-
 gnus Susannam Ioannam Principem Comitem Oettingen-
 sem sponsam non solum propter dotem promissam 1) dona-
 tione simili propter nuptias securam reddit, verum etiam
 2) morgengabam, ac dein 3) dotalitium (*Wittum*) seorsum
 pactae destinat. Verba Morgengabam exprimentia huius
 tenoris sunt: Hierauf sollen und wollen wir Graff Fried-
 rich Magnus von Castell gleich andern Tages nach gehal-
 tenen Beylager unsere zukünftige Gemahlin Fräulein
 Susanna Johanna mit ein tausend Gulden bemorgen-
 gaben, und also versichern, daß Ihre Liebden jährlich
 funfzig Gulden davon Nutzung haben, und des Haupt-
 Guts vergewissert seyn mögen, und haben dieselbe mit
 solcher Morgengabe als ihrem freyen Eigenthum
 nach ihrem Gefallen zu schalten und zu walten, wie
 Morgengabs-Recht und Gewohnheit ist; Es
 sollen aber ihrer Liebden so lang sie im Leben, und im
 unverrückten Wittib-Stand sind, solche Morgengabs-
 Gelder, wider ihren guten freyen Willen nicht abgelo-
 set, sondern erst verstandener massen verzinset, nach
 ihrem Tod, oder anderweiter Verheurathung aber
 länger wider unser Graff Friedrich Magni, oder unserer
 Erben willen, unabglosset nicht behalten, sondern Ihrer
 Liebden ihren Erben ab intestato, oder denjenigen, denen
 Ihre Liebden solche Gelder durch einen letzten Willen,
 oder sonst vermachet, abgestattet werden. Dotalitium
 vero peculiaribus litteris eodem anno C I O I O C LXXVIII.
 describitur, quemadmodum de dote et donatione propter
 nuptias sigillatum illustrissimae sponsae est prouisum:
 certumque habeo, morem hunc in eminenti illa Franco-
 niae



niae familia semper obtinuisse. Ut ita rationes ineam, hodierni Comitis Wolfgangi Dieterici et Dorotheae Renatae Zinzendorfiae tabulae nuptiales efficiunt, in quibus 1) Heurath^s; 2) Wiederlags^s; 3) Morgengab^s-Gelder; ingleichen 4) Wittums-Nuzungen, und Einkünften clarissime seiunguntur. Quod profecto luculentissime comprobat, quam illi incedant discincti ac confusi, qui pleaque miscent; et praxin interea sine teste iactant.

§. IX.

Ceterum nec minus veritati consentaneum est IV. consecrarium: *tum demum deberi morgengabam solenniter promissam, si thalamus consensus, non autem si in domum duntaxat est deducta sponsa; multo minus si maritus efflauerit animam post consecrationem sacerdotalem, aut si nec istud euenerit quidem.* Etsi enim multi existimant, facere deductionem in dominum, ut diuini humanique iuris consors fiat Caia, atque una domus sit, communia omnia, promiscuus usus; cingendamque pro cincta haberi debere, aut latinius, zonam soluendam pro soluta: in primis cum sponsae nihil tribuendum, vel imputandum videatur, si in torum non veniat, nec a marito recipiatur; tamen haec omnia e iure peregrino adducta ne hilum proficiunt. Quippe de Germanico instituto et more sermo est, quae perperam e legibus Quiritium conuelluntur: nisi quidem imperite adfirmetur, ius Romanum hac parte esse ius necessarium et vniuersale, ac Teutonum consuetudinem rationi contrariam. Sat est, ita habere usum nostrum ac modum, ne prius socia sit in dominum deducta, quam recubuit, aut saltem sedat in lecto. Quae ratio ex antiqua maiorum consuetudine petita tantae virtutis est, ut nec sacerdotum solennia et stata verba diuersum efficiant. Quare falsum atque absonum prorsus est, quod Neostadius de pactis antenuptialibus decil. XV. assert, et si

Q 3

Sena-



Senatus supremae Batauorum curiae hoc modo censuit:
Cum, inquit, per coniunctionem illam coniugalem in facie Ecclesiae rite peractam, individua ac indissolubilis vitae societas contracta, et non iam amplius sponsus ac sponsa, sed reuera maritus et uxor effecti sint: nec ad vinculum matrimonii stabiliendum quidquam per concubitum, seu copulam carnalem adiici posse, merito etiam societas bonorum iam ab eo ipso tempore inchoata atque inducta censeri debuit. Neque enim Teutones de vinculo matrimonii solliciti fuere, neque sunt in praesenti, sed de communione ac societate et amicitia coniugali, quae vetusto more tum demum incipere creditur, cum *ωματινῶς* iunguntur. Hinc nullae fere tabulae occurruunt nuptiales cum sollicitudine scriptae, vbi concubitus mentio omittatur. Produxit Toelnerus in codice diplomatico Ruperti II. Palatini auspiciis confecta instrumenta nuptialia, in quibus bis, vel ter ille repetit, tum demum se atque generum Carolum Lotharingum ad lucra nuptialia praestanda obstrictum iri, si *vna dormiuerit* cum filia. Quid autem sit dormire vna, quid thalamum descendere, deinde explicabitur. Iam satis est, maiores nostros, etiam cum consecratione in sacerdotalem recepere, et Iudaico ac Christiano modo copulantur, iunctum communionis et veri coniugii distulisse. Vbi vero nulla tori communio, ibi morgengaba nulla; quod consimiliter in dotalitio ac dote Germanorum obtinet; quandoquidem hoc loco plane non quaeritur, an in caelitum atque ipsius Dei conspectu sic copulatae sint vxores, sed an vsu nostro pro talibus habeantur? Deinde ambigua admodum phrasologia est, *in Dei conspectu videri vxorem*. Quamuis enim Deus clarissime intelligat, Caiam et Caium amorem iugalem sibi inuicem destinasse, et promisisse; neutiquam tamen ille ordinem propterea humanum conturbat, aut leges, aut mores licitos tollit, aut sustulisse creditur; alioquin enim ante flaminum sacra peracta sponsus et sponsa speluncam illico, scuti



curi Dido et Aeneas, intrare eandem, datisque dextris ruere
 in amplexus et inter basia mille, accedere ad rem ac geniturae
 dare operam possent. Quod quum sit barbarum quadantenus,
 et inciuale, imo mos morus, ut Plautina phrasí vtar; idcirco
 minime credibile fit, Deo displicere Teutonicum ordinem,
 quando praeter sacra recepta aliquid illi amplius praecipiunt,
 ut societas matrimonialis pro perfecta et consummata, vnde
 compendia in vxorem redundant, tum demum haberi debe-
 at, si thalamī consortium iniuerint. Quin fac, consecrationem
 illam diuini esse ac necessarii iuris, vt ut est neutiquam; tamen
 nihil impedit, quo minus Germani coniunctionibus hisce
 legem ampliorem dicentes vetusto modo inhaereant, qui
 sane nihil a ratione alienum continent. Ac mirum est, non
 percepisse Doctores leguleios, ipsos Romanos, et si farre
 acciperent aliquando vxores, et flaminum murmura inter-
 uenirent; non existimasse tamen, eo modo factas coniuges
 et iuris omnis consortes, antequam solenni ductu, inter
 turbarum ac tympanorum strepitus, ad hortos ac limen
 denique mariti eiusue cubiculum peruenissent. Perperam
 vero hic loci de vinculo matrimonii indissolubili differi-
 tur; vbi de consummatione et implemento negotii et com-
 munione, et vero, non factio vxoris nomine disceptatur.
 Vnde multo insulsores sunt, qui sponsam de praesenti, nec
 copula sacerdotali sposo iunctam illepede vxorem dicunt;
 maxime cum de solenni vxore et legitima hic agatur, non
 autem de minus solenni, aut impropria stilo Germanorum.
 Immo caue garrias, nos canonum decreta recepisse, et mo-
 res antiquum olentes canonibus contrarios eliminasse. Vbi
 enim, quae so, hoc factum est, et quando? Potius egregie
 decipiuntur, qui hic generatim recepta iura canonica cla-
 mitant. Nam vtut nemo inficiatur canonici iuris receptio-
 nem; tamen non nisi imperitissimus harum rerum adfir-
 mabit,



mabit, in omnibus esse admisum. Receptio specialis est, singularis, nec per auersionem statuenda vñquam; in primis cum e contrario liqueat, Principes viros, leges, ac mores fere omnium nationum Teutonicarum obloqui sic opinantibus, eosque in pudorem dare. Quod vero e peregrinis annalibus aut tribunalibus Hispanorum hodiernorum ac Lusitanorum addueitur, id solum indicat, hasce gentes ob superstiosum canonum et legum ecclesiasticarum cultum a veteri more et vsu quadantenus recessisse.

§. X.

At magis controuersum videtur, an, si sponsa prae-
buisset sponsō corpus ante sacerdotalem copulam, et hic
prius deponeret vitam, quam in cubiculum coniugale is
pertulisset pactam, an, inquam, tum petere lucra maturina
queat, cuius virginitas iam est profecto imperfecta? Ac
puto, non petituram iure. Qui enim quaeue ita concum-
bunt et corpus miscent, et lectum intrant; illi quidem
lectum ex libidine intrasse, ac concendiſſe merito dicuntur;
non autem lectum genialem, aut matrimonialem lege re-
quisitum. Et hic vero tum demum stratus videtur para-
tusque, cum sacra Christiano more peracta, cum sacerdo-
tal is intonuit vox, cum ordine omnia transfacta et ad praefi-
scriptum. Cui non obest, vix tamen futurum, ut huiusmo-
di sponsa pro stuprata sit habenda et ab honesto vxoris
titulo excludenda, et liberi in naturalium classe collocandi.
Actutum enim regero, agi hic de nuptialibus lucris, non
de precario vxoris titulo, nec de filiorum legitima natuitate,
agi de more ac lege Teutonica. Vnde si quis ex Italiae aut
Etruriae annalibus repeatat, Clementem VII. Pontificem Ro-
manum Medicæo de sanguine natum ab omnibus profilio
legitimo agnitus, quantumuis publice nondum et in con-
spectu ecclesiae iuncta fuerit Parenti Juliano Medicæo ma-
ter,



ter, is sane nihil efficiet vel intelligendo, vel agendo, quod sit titiullitio dignum. Neque enim in Italia viuimus, nec, quid ex fauore sit tributum Iuliani suboli eiusque matri, respicimus, sed quid ex iure cogente de nuptialibus compendiis videatur statuendum, statuantque nostrates. Quin curamus scilicet Aymonis Aluernensis ICti ratiunculam *fauorabile, fauorabile* hoc loco crepantis. Quod enim vni fauorabile, alteri sane odiosum censeri debet: nisi lex faueat tali personae, eiusque caussam, commoda et lucra iudicibus speciatim ac diserte commendet. Enim vero sat scimus, silere non solum legem; sed illam quoque clare praecipere, ut in thalamum sese matrimoniale conferant candidati tam arctaee societatis eamque actu perficiant.

§. XI.

Alia et longe diuersa quaestio est, an, si quis concubinam in matrimonium ducat, atque ex postfacto coniugem declareret, morgengabae locus sit? Rationes, quae in contrarium sunt, eo redeunt: esse iam virginitatis florem decerptum; tempusque transiisse sat longum, cum rependi debuisset illa. Sed facilis quoque responsio succurrit: non iam virginitatis ac pudicitiae praemium in disceptationem venire; sed id magis considerari, an communio sit denique orta, an Marcia sit vxor ex lege, sit socia tori, sit affecla mensae? Sed nemo vero contra audebit ire, aut negare, concubinam vxorem fieri posse. Quod si est, recte etiam concluditur, eam adsumi in torum, ac fieri sociam; sed iam demum, vbi ad legem et institutum denuo thalamum intrant, nec libidine perciti, sed coniugali amore stimulati publice, non clanculum lecti genialis gaudiis fruuntur. Nec enim quiuis congressus, sed legitimus communionem et pignora communionis parit.

R

§. XII.



§. XII.

Sed age V. veritatem e penitiori consideratione morgengabae eliciamus, *hancque donationem, quamvis summam quingentorum solidorum excedat, nulla insinuatione indigere statuamus*. Scio equidem esse nonnullos ICtos, qui insinuationem vrgeant, cum morgengabā sit *donatio*: sed sunt tamen plures Viri graues, qui in alia omnia eunt, inque primis Simon Pistoris in *Consilio iuris XX. p. 1075.* qui non solum Principes, verum etiam ceteros nobiles ab hoc onere absoluit. Sunt enim talia munera antelucana iam lege permissa, nec ad D. solidos vñquam restricta. Immo Langobardorum more quartam, vel tertiam licebat hoc titulo donare. Quem limitem ac modum, si quis transiliisset, nihil sane insinuatio profecisset; nec hodie, credo, proficeret, si profusa nimis largitio foret. Ex quo iterum colligitur, quam titubent pragmatici theoriae genuinae expertes: mirumque est, eos ab ipso iure Romano nihil praefidii petuisse ad contrariam opinionem firmandam: cum fane notum sit, donationes ante nuptias nullo insinuationis praefidio indiguisse. Istud vero penitus infirmum est, quando in immobilibus nullum, saltem in Saxoniae regione, dominium transferri scribunt, nisi iudicali auctoritate dimissio domini peragatur. Etsi namque postremum veritati consonat; vix tamen apte consequitur, vt, quod propter dominii translationem iudicali testimonio stabiliendum, pro insinuatione donationis D. solidorum summam excedentis sit venditandum, quam Iustinianus stabiliuit. Sat est, modum praescritum non migrari: vtut plura millia Marciae coniugi deprantur. Nec opinor, aliquem tam inepte coniicere ac prae sumere posse, legem Iustiniani de insinuatione donationum, receptam licet, priuilegiarum donationum et ex vetustissimo patrio iure fluentium libertatem restringere: in primis cum



cum talis inclusio facti sit, clarissimeque exprimi debeat. Sed vbi vero tam euidens Legislatorum inuenitur voluntas, quae domesticos mores inter nobiles viros extinxisset?

§. XIII.

Magis disceptatur de VI. veritate: *an vxori ratione Morgengabae iure tacita hypothecae in bonis mariti fruatur, nimurum, si largitio in quantitate consistat, nec in re certa differtim eidem adsignata?* Plerique doctores hic titubant; dum tacitas hypothecas non tam ex aequitate sola, quam expressa legis declaratione oriri persuasum habent. Addunt opinioni suae non nihil coloris, quando auctoribus iuris id facultatis denegant, ut hypothecas eius generis proprio ausu stabiliant; vt pote qui non sint legislatores ipsimet, sed ministri legum, Quod argumenti non nullius roboris esse videtur; et si aequum fortassis foret, securitatem ob summam semel destinatam conciliare vxori. At ego vero extra dubium collandum existimo, veteres Germanos non tam hypothecam, quam dominium non solum in re certa, sed et designato capite ac summa coniugibus tribuisse; ita ut post mortem mariti, vel cum is facultatibus laberetur, praesumere talem summam potuerint iure. Fauet huic opinioni ipsum ius Saxonum, quando post res expeditorias mulieri facultatem tribuit exigendi ante omnes *Morgengabam*. Nec obest, absurdum apparere, dominium affectare in pecuniae quantitate generatim promissa, quae ne quidem tradi possit; idque euenturum inconcinni, ut mulier in summa vniuersitate promissa sigillatim hac formula vtatur: *Ego hanc rem meam esse aio.* Quod quam foret absonum, liquere: esse enim incomprehensibile, ut haec trecenta abscede sint vxoris, non alia. Enim uero nihil loci inter Germanos huiusmodi cauillationibus est. Potius simplicitati eorum congruit, praecepturam feminam trecenta tanquam patrimonium suum: haud secus atque



illa retinet dominium in fundo dotali acre deposita. Quod enim semel morganatico iure firmiter promissum, donatum est. Quod donatum proprium manet, neque quisquam erit tam fatuus, qui adfirmet, feminam marito mutuo dare iterum. Administrat is quandoque morgengabam, redditusque quos vel coniugi praestat, vel separatim colligit et seruat. Quare statuendum potius, vt pleno iure praecipiat vxor suam donationem in quantitate consistentem, siue adfis argentum signatum, siue ex rebus mobilibus immobilibus aliisque, quibus inesse videtur semel determinata quantitas, conficienda demum sit pecunia. Quod illi bene comprehendent, qui dominium rerum propter nuptias donatarum vxorem apud Romanos acquisuisse statuunt. De Germanorum more vetusto vix dubitabit, qui quod ex Allemannico iure cap. III. adduximus, legerit; et priuilegia morgengabae penitus circumspexerit. Vnde etiam saepissime legimus cautum, promitti nach Morgengabs-Recht. Ex quo fluit, peculiare hic ius occurtere haudquaquam di-metiendum ad Romanarum argutiarum decempedam. Quare nec de traditione sollicitos esse conuenit hoc prae-fertim in dono, quod bene multis praerogatiuis est ornatum. Idque Langobardi et Itali doctores dudum agnouere, exi-stimantes, sola promissione et litteris transire dominium. Ceterum per se patet, prudentius acturam, quae, propter doctorum dissonas opiniones, hypotheca expressa itemque vel generali, vel speciali, vel vtraque sibi caueri curet: sicuti etiam in vsu rerum id obseruamus haud raro. In transcursu adnotamus, etiam recentiores iuris magistros notiones suas non semper accurate connectere, dum aliquando in admit-tendis hypothecis tacitis difficillimi sunt, aliquando facilli-mi: oblii saepius, etiam hypothecas tacitas ex vsu et more, qui legi expressae equiparatur, oriri posse.

§. XIV.



§. XIV.

Et esse vero morgengabae ius singulare ipsi doctores nonnunquam agnoscunt. Saltem Mollerus speciem refert ex facto propositam: vir nobilis in Saxonia propriam non habens catenam a sorore commodatam vxori donavit. Haec mariti precibus mota reddit dictam catenam restituendam dominae, hoc est, sorori commodatarii: qui interea pollicitus est, se daturum aliam. Sed non dedit, eaque ratione excessit vita. Quae situm, an ab haeredibus mariti aut aestimatio sit praestanda, aut catena? Faciebat pro haeredibus, redditam catenam, eoque ius morgengabae proprium amissum. At petitionem mulieris aequissimam censuit Mollerus *in senestribus L.I. cap.32.* haeredes ex promisso defuncti teneri adfirmans. Verum tamen magis dubium, an si nihil speciatim promisisset maritus recipiens catenam, ius esset petendi mulieri. Et putem, nihilominus obligari haeredes. Neque enim iuri suo priuilegiato renunciauit signillatim; sed ea fini restituisse est credenda, ut haberet *ταύτην την πολιτείαν*. Praesumtio pro restituente est: cui reuera, non autem dicis caussa est donatum; nec interea obligatio ad dandum remissa.

§. XV.

Quo obseruato VII. conclusio per se patefit: *Etiā in morgengaba euictionem videri praestandam.* Non dicam, habere mulierem eius generis donationem ex titulo oneroso; ac pensari ea virginitatem amissam: quod deinde confutabimus. Potius adseuerabo, non obseruari hic donationem simplicem, sed ex caussa. Dedit maritus in signum matrimonii consummati; causaque in vtriusque commodum dirigitur. Quod si intellexisset coniux, nihil iri datum; forte non nupsisset marito a veteri et patro more recedenti, aliique dextram porrexisset viro. Sed nihil reuera datur, quando



retineri datum nequit, sed euincitur, et restituendum est melius ius habenti. Adde, eo ipso maritum, dum dedit rem certam aestimationem habentem, voluisse quoque, ut haec aestimatio penes vxorem omni tempore maneat, sicutumque consortii contracti persistat. Reperitur hoc loco pactum tacitum, cui contrauenire nequit maritus. Quod difficultatem parit, eo tandem redigitur omne: in simplici et merum lucrum continente donatione damnum ex euictione resultans non resarciri, nec videri damnum: eique cui beneficium potuit negari, sine iniuria quoque negari euictionis praestationem. Sed semper recurret quaestio, an qui non negavit, sed morgengabam, hoc est durabile munus deliberato animo promisit ac reapse dedit, sit in nexu? Saltem non contemnenda ratio videtur, maritum, et si initio non fuisset obstrictus ad exhibendum munus; nunc tamen cum dedit, et mori se vetusto accommodauit, nec sine causa largus extitit; etiam donationem suam non debere relinquere inanem ac sine effectu.

§. XVI.

At enim aliud longe quaesitum videtur: An si extraneus dedisset morgengabam, vel hic, vel maritus ad euictionem obstringeretur? Puto ego minimeque dubito, neutrum teneri. Non maritum, quia ab illo vxor causam non habet: non extraneum, quia nec more, nec lege obstringebatur ad dandum, nec peculiari pollicitatione ad hoc se obstrinxit, sed fortuito dedit, aut promisit. Ac dum vero liberalis esse voluit, praefitit profecto, quod habuit: ac quo se carere posse existimauit. Atque haec est illa species, ubi quis liberalitatis suae poenam sustinere non cogitur. Sed verte thema ac dic, sciuisse donatorem, rem esse alienam; et tum quoque referes responcionem: paratam esse de dolo actio-



actionem; quia neque leges ciuiles, neque naturales dolosis ylla ratione solent fauere.

§. XVII.

Sed quid? Si socer fundum tradidisset nurui morganatico titulo? Qui socerum obstringi euicta morgengaba credunt, sine dubio ponunt, eum ad dandum vel ex more, vel ex promisso antecedente obligari. Si posterius, non est satisfactum obligationi, quando rem alienam dedit. Si prius, tanto certius constat, socerum ad rependendum, quod interest, vinciri, quanto clarius innotescit, saceros alioquin in se donandi munus suscipere solitos.

§. XVIII.

Sed vtut saceri, quid? quod mariti prospicere vxori-
bus et comparate nuribus suis solent; tamen FALSVM I.
puto: cogi posse maritum sacerumque ad morgengabam nouae
nuptiae erogandam. Quanquam enim lege multas inter Teu-
tonicas gentes statutum est, quantum morgengabae loco
praestari nouis maritabus ad summum queat; non consequi-
tur, tamen, vt semper id fieri debeat, si quis nolit, nec promi-
fit, nec praestitit; falsusque est Antonius Faber, ab haeredi-
bus iure perfecto exigendum tale munus definiens *Lib. Cod.*
VII. defin. 1. n. 9. De Saxonum noua morgengaba et ex er-
rone introducta iam non discepto. Ceterum Fabri πρωτον
ψευδος in eo cubat, quod ob virginitatis florem decerptum
exigi posse credit, eoque titulo oneroso acquiri vxori cum
multis somniat. Vnde vigilandum vtique illustribus femi-
nis, vt vel promissione, vel effectuua constitutione sibi pro-
spici current. Ipsi Doctores Saxonici hac parte probe ra-
tiones subducunt, quando morgengabam, quae donum est
matutinum, voluntatis, non necessitatis esse crebro incul-
cant: etsi rarius contingit, vt personae nobiles et illustres
hac parte ab antiquo more desciscant. Quod si Antonius
Faber



Faber hac ratione usus fuisset, morem pro lege esse; forte verisimiliorem opinionem effecisset suam. Sed cum tamen in legibus Teutoniae omnibus, quas mihi quidem inspicere licuit, maritorum arbitrio sit relictum, an, quid et quale largiri vellent; fixum erit, neminem sic iri coactum, nec haeredes obligatum. Dependet haec liberalitas ab amore et affectione noui mariti; estque in propatulo, ab haeredibus affectionem ne quidem aestimari posse, nisi vel speciatim, vel generaliter ad modum consuetum ac comparate sit aliquid promissum pactumque. Ex quo confit, non quidem adaequatam rationem adferri, quando dicitur, morgengabam esse donationem inter viuos; idque circa intermittere licere. Posset enim utique lex esse lata, ut quantitatem pro conditione sua maritus ipsem decerneret; sicuti dos apud Romanos erat praestanda a patre; quae non minus quam morgengaba donatio dicitur, ac liberalitati patris adscribitur. Quare verior ratio est, propterea omitti posse, quia eius generis largitio mariti iudicio integre est relicta. Hinc verba: Ein Mann von Ritters-Art mag seinem Weib wöl geben, cetera. Quod idem est, ac si speculum diceret: *in arbitrio viri omne id esse positum.*

§. XIX.

Ea vero ratione II. restat adseratum falsum, sed examinandum pluribus; *in pensationem eruptae virginitatis fieri munerationem antelucanam.* Atque est fatendum, antiquam fariis hanc videri opinionem: quandoquidem in ipso iure Bauarico provinciali veteri id rationis adducitur, sicut supra monitum. Sed cum tamen luculenter demonstrauerimus, tori possessionem feminam, quae in lecto recubuit, esse indeptam; atque ex illa communione possessionis deum apparuisse, eam nunc vxorem esse, ac diuini humanique iuris consortem; temerarium sane foret, exigere stricte,



strictè, vt et coitus accedat, et virginitas interficiatur re-aplè. Iam iam enim consummatum Germanis matrimonium creditur, si stragulum obductum, si lodix parata, si culcitae inuolutum par nobile coniugum, si osculum fixum. Ergo sola deductio in torum sufficit, nec curiose inquirendum, an ad rem atque ultimam veneris lineam sit peruenatum? Quid si enim senex sit, qui vxorem ducat, quem non amplius respicit Cypria venus? Quid? si morbo corripia-
tur etiam aetate vigens, nec ad illa praelia prima nocte sit aptus? Quid? si omne territi, aut auspice, voto et super-
stitione verante, aut fascino praepediti distulerint illos ero-
ticos Iusus? An tu coniuges non dices? an communionem
ac consortium nondum coepisse adseuerabis? Quare nolim
vrgeas verbaque captes **Schlaffen**, **Behschlaffen**, quae ple-
rumque congressum maritalem signent. Quippe semper
in legibus et statutis interpretandis potentior est mens di-
centis, quam quae primo obtutu leguntur verba. Atque
interea etiam vox *dormiendi* neutiquam flagitat, vt illico li-
bidine singultant venae, impetuque facto in sociam ad latus
cubantem irruatur et virginitati ultimum ac maximum te-
lum inferatur. Sat est, in tepido sinu mariti aut recubuisse
illam, aut breui tempore in cubili sedisse. Hinc etiam est,
quod per procuratorem possessionem thalami occupare non
solum liceat, sed et inter illustres talis modus ac mos fre-
quentatus legatur. Quin probe intelligent, qui Imperato-
ris Maximiliani I. res gestas perlustrant, Annam Britannicam
ab ipso adulterii propterea esse insimulatam, quod lecti so-
cia per procuratorem effecta turpiter maritum Imperato-
rem deserens in manus Caroli VIII. et thalamum tandem
eiusdem conuenisset. Refert Petrus Baelius(*) concertatio-
nes

(*) Tom. II. des *Reponses aux questions d'un provincial*. p.
678. f.



nes virorum eruditorum ea tempestate flagrantes , cum vnu adulterium inconstanti impingeret Principi , alter negaret ; ac tertius denique certo sensu cumque adiectione admitteret , atque alio iterum respectu inficiaretur . Sed sufficit , plerosque ad Teutonicum morem respicientes Annam Britannicam habuisse pro vxore Maximiliani , fidemque coniugalem ab ea fractam credidisse abque adulterii labe absolui Britannicam posse , penitus desperasse . Quae vniuersa atque singula profecto indicio sunt euidenti , lucri nuptialis , quod morgengaba appellatur , merito fieri participem vxorem , etiam si virginitatem illibatam secum asportet , nec amoris calidissimi guttas persentiscat , nec tacta , nec cognita iis a marito locis sit , vbi libido praelia ciet , vndeque saucia plerunque redit nobilis virago . Ac per opportune nobis hic adsunt suisque argumentis succurrunt scriptores de communione bonorum inter coniuges clari : qui plus nihil tota in Germania ad complementum eius societatis requirunt , quam possessionem communis thalami . Nec aliud dicendum , etsi per vxorem stetit , quo minus veneris vexillum erigere potuerit maritus . Vti enim communio bonorum ac tori non impeditur maritusque commoda sueta percipit ; ita nec commodis suis fraudanda est vxor , tametsi mulieri tribui possit aliquid culpae eaque morae auctor fuisset .

§. XX.

Sed difficilius paullo quaestio formatur , si quis feminam singat impenetrabilem , si virum spadonem , si frigidum , si insanabilem , an tum mulier morgengabam ac nuptialia compendia acceptura esset ? Quod si enim dicatur , nihil habituram feminam , quae inepta sit procreandae suboli ex illis commodis , tum orietur dubium , an quae est adsumta in torum , non sit vxor ? Et adsumta ve-



ro est, et ad latus mariti recubuit: sive opinioni a nobis supra defensae repugnare haec assertio videtur. Sed ego vero fidenter adfirmo, ita capiendam esse consensionem thalami, ut spes sit, etiam corporum commixtionem locum habituram. Vbi vero spes huiusmodi evanescit, ibi sane matrimonium est nullum; immo nunquam fuit: nec lectus genialis est dicendus, quem intrassent Faustina et Antonius, sed lectus simpliciter, cuius consensio matrimonium neutiquam efficit, nec consequenter communionem inducit, nec vxorum maritorumque dulcia nomina parit. Vxoris vero notione et nomine facescente, facescit morgen-gaba: praesertim si in femina impedimenti caussa et origo reperitur. Vnde diiudicanda quaestio de coniunctione cum eunicho. Quae enim sic sese iungit euirato, stupri potius consuetudinem habuisse censenda est. Ad stuprum matrimonialia lucra non pertinent.

§. XXI.

At aliud iterum statuendum, si spado, vel frigidus sit effectus vir, ac mulier exspectare meliora fata constituant. Tunc enim matrimonium subsistit, nec statim nullum est; sed si omnes medicorum artes eludat malum, isteque Suecica niue frigidior appareat, nec, vti Theognis loquitur, ad aruum muliebre arandum vlo remedio ac fomento impelli potest, coniugium demum dirimitur. Diuortium autem hoc cum sit priuatio; ideo etiam habitum praeponit; concluditurque haud temere, coniugium suisce. Vbi vero coniugium, ibi lectus genialis est consensus. Vbi consensio, ibi consortium: vbi consortium, ibi munus consortium hoc significans et consignans, hoc est MORGENGABA. Nec aliter rationes suas ineunt Iureconsulti de communione bonorum inter coniuges differentes.

S 2

§. XXII.



§. XXII.

Enim uero *putatuum* fingi coniugium, quod palam et publice est contractum cum eo, qui maritus Marciae nequit esse: fac thalamum communicatum cum femina in errore ac bona fide versante: immo statue, etiam virum existimasse, se forma legitima esse sociatum; deinde comperiri, priorem mariti coniugem viuere, aut alio ex capite contractas subsistere nuptias nefas esse. Lucrabiturne munus suum infelix Marcia? Ratio dubitandi est, matrimonium nec extitisse, nec eo nomine insigniri posse, quod leges vetant. Sed est quoque responsio: Eam, quae bonam fidem habuit, et errore lapsa est, nec causa ignorationis fuit, communii iure priuari non posse. Ac sumo, Marciam nesciuisse mariti coniugem viuere, eoque infero, bonam fidem tantundem praestare possidenti thalamum, quam veritatem: ac morgengabam vero communii iure deberi. Nec exempla desunt, in veterum annalibus: praesertim vbi ex postfacto saepe vel Pontifices Romani, vel ipsi etiam Principes existimarunt, ob consanguinitatis, vel affinitatis vinculum coniugia stare non posse. Ac nemo offendet, morgengabam ceteraque luera sic dimissis esse subtracta. Aliud foret, si ipsa mulier in dolo fuisset, non autem in bona fide. Neque enim tum leges scienti succurrerent, sed eam tanquam stupratam et adulteram omnis compendii exsortem viuere iustius iubarent. Praeclara sunt, quae in hanc rem eruditus congregavit Hertijs in dissertatione *de matrimonio putatiuo*. Nec obest, frustra petere ab eo vxorem morgengabam, cuius vox esse non potest. Facile enim regeritur, eam bona fide uxorem sese existimasse, ac publice quoque pro tali habitam. Nec desisto, etiamsi traditores donata nondum fuerit. Neque enim in morgengaba iure patrio traditio requiritur: immo quidquid iam petit, non illa ob causam exigit futuram 5



ram; sed praeteritam. Bona fides, repeto, pro veritate est; atque etiam si nullum declaratur matrimonium, vix tamen retro in irritum deducitur.

§. XXIII.

Ceterum ambiguum manet, quae sit ineunda ratio, si eo loco, vbi maritus vxorem duxit, congressus ob Doctorum errorem exigatur, et altero, vbi penates ac focum habet suum, conscientia thalami sufficiat, isque moriatur, antequam inierit puellam secum recubanteam, aut haec abeat e viuis, priusquam virum sit experta? Obseruatur hic non leuis collisio legum, committiturque locus contracti matrimonii cum loco domicilii. Sed puto, non tam locum celebrati matrimonii, quam maritalis domicilii fore spectandum. Nam vxor socia mariti fit, omniumque iurium, quibus ille fruitur, particeps redditur, quando in cubiculum eius transfertur. Vno verbo: Lectus genialis mariti est non solum Romano, sed patrio iure, quod hac parte cum primis contineatur. Quocirca verisimile efficitur, etiam secundum leges eius loci nuptias esse peractas, in quo fixo domicilio aetatem erant transacturi. Est haec Pragmaticorum fere omnium sententia, quorum insignem globum cogit Antonius Matthaei pater in *paroemia secunda Belgica* p. 78. Nec displaceat Chassanaei ad *consuetudines Burgundicas* decisio tit. IV. §. 2. gloss. *in ducatu n. 8.* domicilium inspicendum esse, vbi frequentius habitat vir, si forte hic pluribus sece locis instruxerit et plura domicilia habuerit.

§. XXIV.

Verum tamen nouis litibus aperitur fenestra, si forte aestiuo semestri in Bauaria, hyberno in Saxonia agat: quid enim tum? Et hic sane diurnitas temporis nodum ne quicquam soluet, nec frequentia rem conficiet. Vnde aliis argumentis in re obscura opus erit. Atque existimo inter-



ea, Bauarium fore respiciendam, si ibi simul thalamum concendere amantes: nisi quidem initio declarassent, secundum quas leges decidi futuras controuerfias velint. Exploratumque habeo, hoc a nonnullis eurematicum commendari, ac *cautelae* loco adferri. Quod eurematicum et si cominendandum ipsemet opinor; tamen si omissum, si nulla declaratio antecessit, in dubio certe adducta in medium decisio primas obtinebit. Verum quid fiet, si alibi domicilium habeat, alibi praedia sua, puta in Bauaria domicilium, vbi virginitas debet decerp*i*; in Saxonia praedia, vbi concensio thalami nuptias absoluit? Nemo dubitet, scindi hic in contraria studia iuris auctores. Sed nos tamen ita animum inducimus: societatem coniugalem hoc casu videri personalem, nec territorio mariti circumscribendam, nec distinctionem mobilium, immobiliaque bonorum ad rem facere quidquam. Igitur perimenda erit virginitas, vti Bauarorum mos fert; nec solius thalami scansio definitionis certae fundamentum suggesteret. Quia defensurus essem hanc sententiam, quanquam in Saxonia foret prae-dium situm ex munere matutino deferendum tori sociae. Insuper namque hic habenda omnia, quae de situ bonorum adferuntur; eoque donicilium cohabitantium perpetuo erit obseruandum.

§. XXV.

Extra haec peculiaria locorum statuta, si secundum Germaniae mores vniuersales sententia sit ferenda, omnis de virginitate delibata quaestio in auras vanescet, falsaque erit III. conclusio: *vitiatae nullam morgengabam deberi*. Aut enim dicit, aut retinet maritus stupratam, quam perforatam inuenit, aut non retinet. Si postremum, nullum erit matrimonium; eoque nullo, thalami iugalis concensio deficiet, quemadmodum paullo ante arguimus. Sin prius, ni-hil



hil certe repugnabit, quin sit vxor: atque si haec, erit etiam nunc illi thalamus communis, ob cuius communionem solui alioquin, vel praestari id genus dona solent. Nam qui stupratae, quae se pro virgine venditauit, dolum ac scelus remittit, vel non curat; is etiam promisso se staturum noue ipsoque facto declarat; praesertim cum ea, quae pacto deputata sunt mulieri, non ideo promiserit, vt intacta esset virgo, sed vt sua coniux esset, atque utriusque fortunae socia, hocque symbolo accepto coniugii inchoati semper memor foret. Et viciatam autem, quaeque alii se substrauit olim, vxorem fieri et in communionem omnis iuris recipi posse, extra controversiam est. Quibus ita constitutis in fumum abit conscientiae casus scripturientium commentum, affirmantium, sine salutis aeternae iactura retinere non posse viciatam huiusmodi dona, sed cum propriae turpitudinis proditione restituenda vniuersa atque singula videri.

§. XXVI.

Pari de causa IV. quoque conclusio ut falsa reiicitur: *Viduae nullam morgengabam nec posse promitti, nec praestari: sed, si quid promittatur, aliud eam in rem nomen fore excogitandum.* Mirum est contra publica acta et morem inolitum potuisse iureconsultos talia memoriae prodere. Ipsi nos supra morgengabam Mariae Harcuriae a Raynaldo Gelriae Duce litteris promissam, quo cum secundis est copulata nuptiis, in medium tulimus; nec haerere cuiquam dubium potest, quin fere innumera adduci exempla possent, si res clara indigeret probatione. Nec negat Gaspar Schmidius in *Commentariis ad Ius Bauaricum prouinciale Tit. I. art. I. n. 17.* praxin huic doctrinae prorsus repugnare. At semel imbibito de virginitatis remuneratione hac in causa errore; necesse fuit, ut etiam plures conclusiones falsas procuderent, procusasque venum exponerent. Sed notandum tamen, Ioach. Mynsingrum



rum *Respons.* XLIII. n. 24, qui nostrates inter Iureconsultos haud infimi subsellii est, iam perspexisse, fculneam a virginitate amissa duci rationem, ad palliandum hoc munus iugale. *Quid?* quod Thomas Sanctius, seu Sanchez de *Matrimonio* lib. VI. disp. 41. n. 5. fatetur: *pudicitiam, quam vxor viro prostituit, non esse dignam, ut remuneretur, quia frustraneum esset matrimonium, nisi vxor pudicitiam viro prostitutura foret.* Quae verba, vtut barbara, commonefacere secus sentientes potuissent, caussam hanc precariam et futilem esse certe. Ceterum id quoque obseruandum, ineptam videri locutionem, cum pudicitiam prostituere vxor marito dicitur. Nihil in matrimonio turpe est; nec credendum, ipsos Romanos existimasse, praemio, quod prima pro nocte dabatur, pensari verecundiam nouae nuptiae. Potius confortium tori primaria totius negotii causa est; eiusque solum appendix censeri coitus debet, ob quem nihil promittitur, nihil exhibetur, nihil etiam petitur. *Quin immo meretricium est, exigere vestigia ab amatoribus, quibus locatur corpus, et ad calentem libidinem porrigitur venter.* Vnde cura me tetigit ne quaquam leuis inueniendi erroris huius in ipsis leges publicas irrepentis vestigia atque originem. Ac deprehendi demum, Iureconsultos Italos atque Hispanos e lege 24. C. *de donat. inter virum et vxorem,* in qua PRAEMIVM PVDICITIAE occurrit, id rationis insulse per quam exquisuisse inque scholis ac voluminibus suis ad plures infelici errore propagasse. Neque enim ea in constitutione aliud occurrit, quam vxori relinquendas esse donationes, quas vir morte confirmat, siue naturali, siue ciuili: atque addit Constantinus PRAEMIVM eas PUDICITIAE videri. Quod profecto toto coelo diuersum ab illo est praemio, quod pro opera nocturna et virginitate amissa in munerationem eius dispensii effinxere doctores cerebrosi. Hi namque admodum inepte persuadent

fibi



sibi, datum aliquid esse inuercundiae repetendae caussa: quasi mulier inuercunda, atque impudica esset censenda, quae amplexus mariti non defugit, aut illa sese prostitueret, quae procreandae sobolis gratia atque ad genus humanum immortale efficiendum amori indulget nequaquam incesto, atque illicito. Neque vero assis est faciendum, quod latius virget Petrus Gregorius Tholosanus, vxorem deterioris, quae sic deuirginetur, conditionis fieri, ac corrumpi; ideoque noua ei dote succurrentum fuisse, quo secundo facilius nuberet viro. Potius turpiter hic sese ipse Gregorius dat, et famam eruditio[n]is alioquin non sp[er]nendae prostituit, quando penitus obliuiscitur, quam fuerint secundae nuptiae tum Francis suis, tum Germanis inuisae. Et is vero propterea opibus cumulatas somniant vxores olim virgines, ut honestam nubendi conditionem inuenirent iam corruptae et vsu detritae. Pignore decertarem, Tholosanum aliquo[n]que in errore suo admodum fuisse confirmatos, cum stupratis fertum rependi virginale cernerent. Sed sicuti nemo eiusmodi pensionem donum matutinum appellabit, sed qualcunque amissae pudicitiae solatium, quoniam eripuit, quod non debuit, stuprator; ita ineptus sit oportet, qui eandem impositurus esset maritis, qui quod debent, et ob quod ad nuptias animum appulere, faciunt ac masculi praestant. Itaque alia necesse est et verior fuerit muneris antelucani caussa. Ex quo pellucet, quam obtusi sint cordis, qui morgengabam titulo oneroso obtingere vxori fabulantur; hincque insinuationis necessitatem hac in donatione vanescere scriptitant, aut cum Antonio Fabro nouum argumentum inde petunt, quare dono hoc nuptiali recreanda necessario fit Marcia mulier facta, quod virgineo sanguine redemerit merueritque vniuersa, quae ei de bonis ac facultatibus suis tribuat torosus maritus, cuius illa iugum tulerit, dum

T.

venas



venas inflauit flagrantissima libido, eiusque lampadion sit effecta, atque philema. Quas ineptias iam olim merito risit Ioannes Petrus Fontanella de pacis dotalibus claus. 7. gloss. I. part. I. n. 10.

§. XXVI.

Sed maiori tamen ludibrio obnoxium sese reddidit Mylerus ab Ehrenbach, quando V. admisit conclusionem, quae ostentui eruditis est: *nempe Iuuenem a vidua femina merito huiusmodi praemium atque donum iugale expetere, qui primam emoriturae virginitatis lympham cum ipsa communicasset.* Etsi enim neminem inuenit, qui tam insultae sit stipulatus opinioni atque eius sectarium agere voluerit; est tamen hoc fere intolerabile in Iureconsulto, qui peculiare de nuptiis illustrium personarum volumen conscribillavit: in hoc commiseratione dignus, quod cum tam varia compilasset Iureconsultorum scripta, indeque quam plurima in suam farraginem transstulisset; semper tamen stultissimas amplexus fit opiniones, ac cauſas a doctoribus excogitatas perriducas. At quis vero, vt ad putidam conclusionem redeamus, certiorum faciet viduam mulierem, iuuenem virum summa integritate pudicitiaque extitisse. Dari enim in puellis virginitatis notas et antiquitas credit et Iudeorum natio sibi persuasit: in viris autem vt talia sint γνωσίγματα atque inuolati corporis signa, nemo vnuquam ac ne per somnum quidem cogitauit. Vnde admodum arrident, quae Gothofredus Barthius Lipsiensis Doctor percelebris hanc in rem porro adfert in supra laudato libello: valituram nempe Myleri miserrimam rationem adeo prolixę, vt vel a virgine vicissim reuera muneranda virginitas adolescenti, vel locus utrinque compositioni sit relinquendus breui manu, si vnuquam aliquid foret tribuendum precario argumento. Noli dicas, idem obſtiturum hypothesi nostrae; consecuturumque



que, vt, si vir vxori donat ob lectum communem conscientum, eadem etiam vicissim ferre munera sit obstricta novo marito; quia et in suum lectum intrasset. Disparia enim sunt; nec vnum compingenda in fascem. Torus, vti iam indicatum, mariti est, et manet, vbi cunque sternatur. Ille hunc cum coniuge communicat, cum haec vicissim cum illo. Ille in cubiculum suum sponsam recipit, non haec illum in diaetam et lectulum suum. Quare dubium in speciem confictum facile sufflaminatur; luculenterque intelligunt omnes, quam nihil sit tribuendum opinioni inueteratae, morgengabam in vicem summi honoris amissi, aut expugnati pudoris a maioribus nostris esse excogitatam et usu, more ac publica disciplina alicubi stabilitam.

§. XXVII.

De quo quamuis plura superessent lectu haud indigna; tamen ad finem eoque VI. atque ultimum consectarium proprio, quod quam sit fallax pauci percipiunt. Aiunt enim: *Vxorem ob adulterium commissum perdere matutinum donum, vel, si iam dilapidasset, refundere marito istud utique debere.* Nullum mihi dubium est, quin plerique existiment, hanc thesin non adeo videri absurdam. Tenent quippe, dotem amitti ab ea, quaeve doti respondent, si fidem fregerit iugalem, et ad alienos sese amplexus prouoluerit. At sicuti nemo negat, moecham retinere bona propria, et paraphernalia, ac tantum priuari dote adlata, ita certissime concluditur, neutiquam eam spoliari dono suo matutino, cuius est domina primo post nuptias die effecta. Qui morgengabam virginitatis praemium dicunt, nobiscum quidem consentiunt, sed aliam interea decidendi caussam sequuntur. Grauissima dubitandi ratio est, quod maritus donum istud dedisse credatur in signum consortii coniugalis, quod violasset infami delicto; eoque indigna videatur, quae ex matrimonio



nio perfidia sua rupto fructum ferat, ac copias augeat suas. Verum tamen putem, non quidem fore iniquum, si impudicae mulieri leges huiusmodi lucrum detraherent; sed quamdiu lex nondum appetet, eo sane modo puniri nequit. Et indubium autem est, tam tremendum iuris carmen nondum innotuisse. A dote Romana ad lucra nuptialia Germanis fere propria arguere non licet: ac perperam hoc loco ingeminatur, eam amoris haud mereri praemium, quae amorem minime seruasset. Aut enim mos hic desideratur legi similis, aut lex diserta, aut pactum speciale. Itaque vindendum, an ex semel constitutis principiis solui quaestio possit? Dicendumque, semel constituisse iustas nuptias atque inde resultantem thalami communionem; in cuius testificationem facta est largitio. Accedit, quod sicuti communio bonorum per adulterium retro minime tollitur; ita nec ea, quae retro sunt donata, amittentur. Qui adhuc haesitant, cogitent porro, etiam sponsales arrhas patrio more retineri ab impudica coniuge, quae fatuos est sectata ignes. Vnde recte Klockius Relat. Cam. LXXIV. n. 40. concludit, male aliquin de morgengabae origine edocitus: *Hanc morganaticam ego inter paraphernalia et propria bona vxoris refero et ideo secundum veriorem Doctorum sententiam ADULTERAM EAM AMITTERE NON CENSEO.* Adstipulatur Klockio Mynsingerus, quem is propterea testem aduocat, eiusque *Responsum* I. n. 42. et 43. dilaudat. Quod vero dotalitium amittat illa, alio ex fonte est. Hoc enim vxori in futurum prospicitur; semperque tacita conditio subest, eam perstituram vxorem; quod sane non sit, dum in thalamum mariti extraneos admittit atque in alienum hortum, contra fidem datam, serere eos proterue permittit. Nec nego, amifuram quoque moecham, quod e testamento mariti ab hoc scelere immunis potuisset petere. Sed quae lege vel pacto debentur,



bentur, vel iam mulieris sunt, ordinario iure neuriquam perdet. Est haec Mollerij *semestribus* non spernenda opinio.

L. IV. c. 40.

§. XXVIII.

At obscurae magis disceptationis thema est: an, si malitiosa ac sine caussa deserat vxor maritum, antelucana ei sint adimenda dona, aut neganda, in primis si paullo post nuptias celebratas illa se in pedes coniiceret, atque ad domum parentum properaret? Quod Princeps nostra aetate generosa inde le stimulatus tali casu praestitit, ad ius strictum non pertinet. Igitur breuiter restat monendum: factum infectum fieri vix posse. Quod datum, in proprietatem maritae semel legitime coniunctae transit. At iustas nuptias celebrauit femina deseritor, et consummauit; igitur haud male cogitur, etiam haec lucra in eius patrimonio relinqui, aut ab haeredibus peti, nec a mariti successoribus recte denegari: sicuti praeter dotem, et quae huic insunt, facultates suas ac bona cetera retinet. De poena desertionis iam nobis sermo nullus est. Quin nec disputandum reor, quid Rex, vel Princeps facturus sit absoluta potestate pollens, si tam perfida ei coniux obtingeret. Nos, quid mori et iuribus Germaniae congruat, scripsimus, ac manum de tabula bona Lectorum venia subtrahimus tandem.

§. XXIX.

Quos antequam cum voto omnigenae prosperitatis dimittamus, commonefacimus omnes, nos a legum multitudine atque auctorum congerie, qui sibi haud leuiter aduersantur, consulto abstinuisse, nisi cum necessitas et res ipsa postulare visa. Versamur enim in materia, de qua Romanorum decreta nihil signate dicidunt, nec, quia pleraque iis ignota, definire vlla ratione potuerunt: Germanorum mores vero et instituta larga in praecedentibus manu sunt suppeditata. Et ubi autem e iuris principiis variae declarandae conclusiones

T 3

erant,



erant, animum haud temere induximus, ea non tam probata
da peritis rerum, quam in omnibus praeponenda: veterum
Iureconsultorum more, qui rationum pondera adulterunt,
nec aliorum super alios ruentium nomina coaceruarunt. Ac
credatis velim, neutquam mihi illa tremenda Glossatorum
volumina deesse; quorum in scholis regnat auctoritas, consi-
liorum, responsorum, definitioñum, decisionum, obserua-
tioñum, animaduersioñum titulis elogiisque praescripta. Sed
sedet sententia, non esse semper eundum, qua itur, nec cre-
dendum, usque dum summa dies veniat, sed iudicandum, at-
que unum ex altero sine repugnantia proprio demum studio
eogendum. Qui ad rumorem secomponunt, habent,
quod agant; sequantur, per me licet, antecedentium gregem;
venerentur barbam male olenis capri, qui dux gregis est;
optimaque, quae magno adsensu recepta sunt, existiment.
Non edant, non bibant, non dormiant sine lege, permitto;
nec denique ad operas qualescumque sine celebris Doctoris
auctoritate se conferant, consentio. Ego sane vniuersas
hasce delicias lubens, quibus placent, relinquo; certusque
sum, me interea vera, vel saltem verisimilia in medium tulisse;
nec illas antiquas fabulas ac vulgi commenta recoxisse. Quod
si enim vulgaria solum et erronea edenda, rectius sane agent,
qui ab omni scriptione abstinere, quam iumentorum augere
pabulum malunt. Qui potest, quae diximus, confutet: palma
in medio posita est. Iam enim naeniarum satis; iamque ab-
unde datum rabulis. Iudicent cordatores; causidicorum
que interea ac madentium magistrorum auara atque ignobi-
lis turba penitus conticescat. Quidquid in pagellis disserta-
tionis huius occurrit, ac cernitur, id mensis vnius spatio ho-
ris succisiuis teneas confectum. Quare tanto facilius
ignoscet nobis, si qua sit parte erratum.

T A N T V M .

INDEX



()

INDEX AVTORVM

QVI IN HOC OPERE VEL LAVDANTVR
VEL NOTANTVR VEL COPIOSIVS ETIAM
EXPLICANTVR.

A.				
A elianus,	11. 18	Eisenenschmid, <i>Casp.</i>	38	
Aeneas Sylvius,	72	Euripides,	6	
Albertus Argentinensis,	89	F		
Anastasius,	19	Faber, <i>Anton.</i>	123. 135. 145	
Aristophanes,	9	Fachfius,	104	
Aristoteles,	4. 7. 11	Fagiis, <i>Paul.</i>	37	
B.		Feithius, <i>Euerhard.</i>	4	
Baelius, <i>Petr.</i>	137	Fontanella, <i>Iob. Pet.</i>	146	
Baluzius, <i>Steph.</i>	77. 81. 82. 110	Fontanini, <i>Iustus</i> ,	81	
Barthius, <i>Gotfr.</i>	95. 119. 146	Fredegarius,	22	
Bartholinus, <i>Thom.</i>	63	G		
Berlichius,	92	Gallandius, <i>Aug.</i>	77	
Bignonius,	22	Gellius, <i>Aul.</i>	14	
le Blanc,	22	Geneseos XXXIV, 12.	2	
Boethius,	14	- - XXIX,	62	
Borrichius, <i>Andr.</i>	12	- - XXXI, 14.	3	
Briffonius,	67	Godwinus,	38	
Brulaeus, <i>Henr.</i>	114	Goldastus, <i>Melch.</i>	23. 82	
C.		Graeuius, <i>I. G.</i>	13	
Caesar, <i>Julius</i> ,	47	Gregorius Turonensis,	75	
Cangius, <i>Carol.</i>	46. 54. 67. 84. 94.	Grotius, <i>Hugo</i> ,	8. 24	
Carpzouius, <i>Iob. Ben.</i>	96. III	H		
Chardinus,	77. 95	Hammelmannus, <i>Herm.</i>	105	
Chassaneus,	32	Hertius,	140	
Colerus, <i>Matthias</i> ,	141	Hickefius, <i>Georg.</i>	70	
a Costa, <i>Ianus</i> ,	95. 97	Höhnlius,	88	
Courtinus,	79. 81	Hottingerus, <i>Henr.</i>	37	
Cuperus, <i>Gisbert.</i>	70	I		
Cyprianus,	6	de Ianua, <i>Iob.</i>	50	
D.		Isaeus,	10	
Daniel, <i>Gabr.</i>	62	Isidorus Hispalensis,	109	
Diogenes Laertius,	45	Iudicum XIV,	62	
Doughaeus, <i>Ioh.</i>	39	K		
E.		Klockius,	148	
Eccardus, <i>Georg.</i>	2	L		
	22. 27. 31	Lambecius, <i>Pet.</i>	85	
		Leibnitzius,	55. 99	
		Leo		



INDEX AVTORVM.

Leo Mutinensis,	62	I Sam. XVIII, 25.	2
Lindenbrogius, <i>Frid.</i> 20. 41. 82. 84		Sanchez, <i>Thom.</i>	144
Ludolphus,	87	Sauaro,	28
Lunigius,	88. 123	Saxo Grammaticus,	19
Lynckerus,	116	Scaliger,	109
M.		Scheringhamus, <i>Rob.</i>	19. 20
Maimonides,	3	Schilterus,	31. 43. 45. 46. 89. 117
Mangelfeldius,	98	Schlachtenhorstius,	88
de Marca, <i>Petr.</i>	75. 107. 110. 112	Schmidius, <i>Gasp.</i>	89. 143
Marcellus, <i>Nomius.</i>	12	Schurtzfeischius,	73
Matthaei, <i>Anton.</i>	119. 141	Scipio Gentilis,	63. 65. 81
Mela, <i>Pomp.</i>	19	Seldenus, <i>Ioh.</i>	62
Monachus de Rastede,	105	Sibrandus a Sicama,	44
de Moret, <i>Ioseph.</i>	109	Sirmondus, <i>Iac.</i>	94
Müllerus, <i>Dan.</i>	58	Solinus,	17
Müllerus, <i>Ioh. Ioach.</i>	117	Spanhemius, <i>Ezech.</i>	17. 64
Muratorius, <i>Anton.</i>	56. 116	Spelmannus,	50
Mylerus ab Ehrenbach,	63. 119.	Stiernhoeck, <i>Ioh. Otto</i>	87
	122. 146	Strabo,	48
Mynsingerus, <i>Ioach.</i>	144 sq. 148	Strickerus,	23
N.		Suidas	64
Neostadius,	125	T.	
Numer. XXVII.	3	Tacitus,	21. 24. 39. 40
O.		Tenzelius,	88
Orosius, <i>Paul.</i>	19. 20	Terentius,	13
P.		Tertullianus,	39
Perenonitus, <i>Pet.</i>	14. 66	Tholofanus, <i>Pet. Greg.</i>	145
Perizonius, <i>Iac.</i>	5. 7. 10. 16. 17	Tobiae VII, 15.	37
Petitus, <i>Sam.</i>	39	Toelnerus, <i>Car. Lud.</i>	91. 126
Pezron, <i>Abbas.</i>	17. 18.	V.	
Pistoris, <i>Sim.</i>	130	Valbonasius,	30
Plinius,	16	Varro,	12. 13
Pollux, <i>Iul.</i>	9	Vitrunga, <i>Campag.</i>	18. 28
Pontanus, <i>Ioh. Isaiae.</i>	88	Vlpianus,	48
Procopius,	29	Vossius,	17. 77
R.		W.	
Relandus, <i>Hadr.</i>	38	Werlhofius,	101
Repkouius,	73. 95. 101 sq.	Wissenbachius,	16
Rossaeus,	39	X.	
S.		Xenophon,	18
Sagittarius, <i>Casp.</i>	88	Z.	
Salmatius,	9. 19. 21. 28. 31. 38. 39.	Zobelius,	104
	45. 64. 65		

INDEX



INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A.	<i>Castitiatores,</i> 102
<i>Allemannorum</i> dos legitima, 31	<i>Cato</i> iunior viuus amico vxorem permittebat, 39
<i>Alphesibouoi</i> , quare puellae sic dicatae, 21	<i>Coenitio</i> vxorum apud Romanos frequens, 12
<i>Ananakalupthgio</i> , 63. 65	<i>Compitum</i> vicinale apud Varonem quid significet, 13
<i>Annulus pronubus</i> , 16	<i>Confarreatio</i> , 37
<i>Antiphexu</i> , 65	<i>Coniugium</i> Francorum eintitulum, 22
<i>Aristoteles</i> emtionem vxorum tanquam barbaram reficit, 47	- - cum vxore ad coitum impeta, nullum est, 139
<i>Armillae</i> mulieribus propriae, 62. 63	- - putatium, 140
<i>Arrha</i> sponsalitia, 16	<i>Consensione thalami</i> apud Germanos nuptiae deinceps consummabantur, 171 sqq.
<i>Affirii</i> virgines coniugio habiles voce, praeconis venales pronunciando plus licitanibus vendiderunt, 8. 18	<i>Consecratio sacerdotalis</i> non statim perficit matrimonia 126
<i>Attalus</i> Pergamenus Praetor, 17	<i>Contectalis</i> , quid significet, 73
<i>Augmentum dotis</i> idem quod Morgengaba, 110	 D.
<i>Azonis VI. Marchionis Atestini libellus dotalis</i> , 56	<i>Decke</i> beschlagen, quid significet, 73
B.	<i>Denarius</i> quid sit, 22
<i>Bauren</i> <i>Köre</i> quid sit? 102	<i>Dixi πρόθεν</i> , 65
<i>Boioarii</i> pretium pro virgine dabant, 30	<i>Dies votorum</i> quid sit, 77 sqq.
<i>Burgundi</i> , Vandolorum portio, 29	<i>Dos</i> Allemannorum legitima, 31 sqq.
- - an ad Gothicam gentem referendi, <i>ibid.</i>	- - quid sit? 36
- - quo pretio puellas emerint, <i>ibid.</i>	- - quanta fuerit apud Hebreos, 37. sqq.
C.	- - equalis apud Germanos, 39. sqq.
<i>Casticium</i> quid sit? 94	- - num apud Lacedaemonios plane cessarit, 11
V	- - foeminarum apud Graecos, 39
	<i>Dos</i>



INDEX RERVM

- Dos** plerumque dabatur fructuario iure, 51. 86
 - - Kunigundae ab Henrico S. data, 51
 - - apud Allemannos non sine heredum ac filiorum consensu definita, 82 sq.
 - - matutina idem ac morgengabba, 109 sq.
- Dotem** secundum genealogiam soluere, quid sit, 31
 - - Germani habebant legalem sponsae, et pactam vxoris, 40
 - - mariti conventionalem Romanii nesciebant, 42
 - - exiguum feminae Teutonicæ viris attulerunt, 46
- Dotium** ac donationum sponsaliarum comparatio, 33
- Dotalitii** nomen in Germanorum libellis Hohenstaufforum imperatorum aeuo, 52
 - - vxoris nobilis destinata quantitas, 59 sq.
- Dotalitium** hodiernum ens est nouum ac compositum 42 sq.
 - - non donatio propter nuptias nec morgengabba, 43. 113 sq.
 - - quando apud Germanos inualuerit, 49 sq.
 - - vox haec iam Pipini aetate in Gallia et Italia innotuit, 50. 51. 52
 - - a vidualitio non diuersum, 53
 - - et donatio propter nuptias inter se nonnunquam confunduntur, 54. 55
- Dotalitium**, in eo vnde duplum seu quadruplum reddituum ortum sit, 56
 - - cur et quando in feudis constitui cooperit, 116 sqq.
- Douariere**, gallica vox quid significet, 54
- E.**
- "**Edva**, 4. 14. 39
Ee, Eua, Ephä, quid significet, 23
Ehe-Geldz-Sühnung, 24
Emere, vocis antiqua significatio, 5
- Emitio** vxorum tanquam barbara reiecta ab Aristotele, 4. 7
 - - apud Athenienses abolita per Solonem, 8
 - - apud Romanos non incognita, 12
 - - apud Romanos reciproca, 14
- Eπωνυμία**, 63. 64
Erphe, Erbe, Erve, erbi quid significet, 44
- F.**
- Faces** in nuptiis adhibebant Romanii, 15
- Fadersum** Langobardorum quid sit, 43 sq.
- Feudum** ceu morgengabba non datur, 115
 - - ceu morgengabba datum, sed mutatum in allodium, 116
- Filiae** apud Hebreos post obitum parentum a fratribus elocabantur, 2. 10
 - - ab hereditate excludebantur, 3
- Filiae**



ET VERBORVM.

- Filiae** Iobi non omnis hereditatis
expertes reliæ; 3
- olim venditae, *ibid.*
- Labanis iuste conqueruntur,
ibid.
- Spartanorum magnas habe-
bant dotes, 11
Fili apud Graecos tutores matris
et iugos, 38
Francorum coniugia emititia, 22
Galli ditiones Germanis, 47
Gegen-Wermâchtinis, 54. 58
Getae vid. Gothi.
Gezeuntes, quid vet. iur. Sax. signi-
ficeret, 95
Gothi ac Getas eiusdem originis,
19
- Polygamicæ olim maxime de-
dicti, 20 sq.
Graeci emtione vxores acquire-
bant, 4
H.
Hebrei vxores suas pretio acqui-
siuere, 2 sq.
Henrici Rasponis libellus dota-
lis 55
Hypothecam tacitam an uxor ra-
tione morgengabæ in bo-
nis mariti habeat, 131
Kôther, Kothsassen, 94
L.
Lampadas in nuptiis adhibebant
Romani, 15
- Langobardi** Romanas leges do-
pimelicias quodammodo accom-
modarunt, 57
Leibgeding, Leibzucht, 46. 113
Libellus dotalis Henrici Raspo-
nisi, 55
- Azonis VI. Marchionis Ate-
ni, 56
Litolai Langobardorum, quid
erit, 46
- M.**
- Machar** Syris est despondere, 2
Manus quid significet, 93 sq.
Maritagium quid, 110
Maritus ad morgengabam dan-
dam cogi non potest, 135
Mathan, 28. 36
Maximilianus l. Imp. Annam
Britannicam adulterii insi-
mulat, 137 sq.
Messium vel Missium Langobar-
dorum quid? 29. 41
Metha Langobardorum quid si-
gnificet, 27. 29
- deriuatur ab hebraeo Ma-
than, 28
- derat dos legalis, 41
Mingreliorum nuptiæ emtione-
les e Chardini itinere Perfi-
co descriptæ, 32
Munsing, ita sponsus appel-
latus, 28
Mohar, 28. 36
Morganaticum a morgengaba
non discrepat, 69. 110
Morgengaba, sonat donum matu-
ritinum, 60. 61
- nec dos nec donatio pro-
pter nuptias, 61. 74. 75.
Morgen- 78. 82
- V 2



INDEX RERVM

- M**orgengaba, eiusdem finis ac natura, 68 sq.
est Symbolum coepti consuetudinis fortii et consummati matrimonii, 69
quo tempore praestanda, 73. 77
cur nouae maritae destinabilius, 74
ad summum erat quarta pars bonorum mariti, 79. 80. 81
eidem cur Langobardi monachini dixerint, 79
apud Alemannos sine heredum et filiorum consensu dabatur, 82. sq.
de ea si apud Alemannos lis oriretur, quomodo pronunciatum 82. sqq.
proprio iure dabatur, 86
iure Bavarico quid hie obtineat, 89
ius Saxonum quid de morgengaba statuat 92
quare tam varia nomina acceperit, 106 sqq.
a Sabaudis augmentum dominis vocatur, 110
nouis vxoribus intra certum tempus facienda, 112 sq.
ex feudis quoque solui potest, 116 sqq.
eam mater in liberos ex secundo matrimonio transfundere potest, 118 sqq.
in ea maritus nil mutare potest, 120
- M**orgengaba, an in casu necessitatis a marito alienari possit, 121 sq.
quomodo intelligenda verba in tabulis nuptialibus: Nach Morgengabes Recht? 123 sqq.
debetur tum denum, si thalamus concensus, 125
an debeatur sponsae, si sposo praebuit corpus ante copulam sacerdotalem, et hic statim deponat vitam, 128
perperam denegatur concubinae duclae, 129
nulla insinuatione eget, 130
in ea euictio praestanda, 133 sqq.
ad eam promittendam et dandam maritus cogi non potest, 135
non in pensationem erpta virginitatis fit, 136
sqq. 144 sq.
an vxori ad coitum ineptae debeatur, 138 sq.
quid iuris circa eam, si maritus bina domicilia habeat, 141
an vitiatae debeatur, 142
viduae quoque datur, 143
an iuueni praestanda, qui feminam viduam dicit 146
an adulterae praestanda, 147
an mulier desertor eandem perdat, 149
Mundium, 46
N. Na-



ET VERBORVM

N.		Phaderfium Langobardorum quid sit, <i>Inde</i> 14 mos	43
<i>Nastaid</i> , quid?	84	<i>Placitum</i> ante hostes, quid sit,	21
<i>Nachsteuer</i> , <i>ad iungere</i>	84	- - Francorum inter arma,	25
<i>Niesungs-Lyd</i> , <i>chen map</i>	84	<i>Portio statutaria vxoris</i>	60
<i>Nuptiae</i> quid proprie sint,	1	Προγάμια apud Graecos etiam post Solonem in usu,	9 sq. 12
secundae Germanis inui- sae, <i>in iustis</i>	24		
subiectorum in Delphina- od <i>godsatu</i> olim sine Comitis - illis oīb <i>consensu</i> non contra- - iussi māhebantur, <i>or</i>	30		
Mingreliorum e Chardini od itinere Persico descri- - <i>edsgnog ptae, andis</i> ns	32		
non sine lege ac ordine, sed - <i>assur i statis ceremoniis pera-</i> - guntur,	61		
apud Hebraeos per septi- - <i>alim o duum durabant,</i> 62			
conscensione thalami apud			
Germanos demum con- - <i>summabantur,</i> 71 sq.			
<i>Nuzungs-Lyd</i> , <i>s insom</i> R	84		
od <i>andisq</i>			
O.			
<i>Οπτηγια</i> ,	63. 64	<i>Sartago</i> ,	9
<i>Oscleum</i> morgengabam, proba- - <i>biliter exprimit, III. sq.</i>		Saxonum virgines carius vende- - <i>bantur quam Francorum,</i>	26
<i>Ostrogothi</i> , <i>shay hanci</i> <i>Adm</i>	20	<i>Sereix Hispanorum</i> quid forte - significet,	108
P.			
<i>Pecora</i> temporibus nondum pe- - cuniosis solidorum vicem - sustinebant,	21	<i>Senechalus</i>	96
<i>Peculum</i> Gallorum quid,	48	<i>Seneffe</i> quid,	96
<i>Pergameni</i> Phryges,	17	<i>Sicli Hebraeorum,</i>	38
eorum idioma Teutonica - conueniens,	17	<i>Socrates</i> viuens a amico vxorem - permittebat,	39
<i>Pergamum</i> quid,	17	<i>Solidus</i> quid sit,	22. 26
		<i>Solon</i> emtionem vxorum apud - Athenienenses abrogat,	8
		num omnes omnino dotes - fustulerit,	8
		non plures quam tres ve- - stes permisit inferri ab vxo- - re,	12
		<i>Specu-</i>	



INDEX RERVM ET VERBORVM.

- Speculum Saxonum* per Henricum Monachum de Rastede de descriptuim, 105
eius versio latina ad Reproum non pertinet, 101 sqq.
Sponsalitium Hispanorum, 107
morgengabae nostrae simile, 108
Sponsus interdum μανσή sive ἄρχοντα appellabatur, 128
Susatum primaria Westfaliae ciuitas, 99
Thaces a Phrygibus ortum duxerat, 63.
corum similes Germanicis mores, 18
- V.
- Vestes tres tantum permittebat Solon inferri ab vxore, 11. 12*
Atheniensium viris et feminis communies fuere, 12
Viduae feminae carius emendaes, 25
in eas apud Saxones maius pretium vix statutum, 26
in Delphinatu tributum sollevabant, 30
Vidualitium a dotalitio non disversum, 53
Visgothi, cuius sint originis, 20
precio redemerunt vxores, 20 sq.
Vitalitium, 53
Vxor olim quasi emebatur, 1
apud Hebreos prelio acquirebatur, 2
- F I N I S.
- Vxor apud Graecos virum quasi emebat, 6*
apud Romanos coemtione acquirebatur, 12 sqq.
quomodo acquiratur, Rabbinorum opinio, 56
nobilis quantum dotalitium definitum habeat, 59 sq.
ciuii ordinis portionem statutariam habet, 60
nobilis num relicto dotalitio ad portionem statutariam confugere possit, 131
an ratione morgengabae iure tacite hypothecae in bonis mariti fruatur, 60
- Vxores suas viri apud Graecos sacrum per testamento amicis hinc imleggabant, 39*
amicis non inquam viri amicis permittebant, 39
Romanii aqua igneque accipiebant, 66
- W.
- Widerlegung, Widerlage, 54. 58. 91*
Wittmund, 46
Wittum, 46. 54. 91. 114
Witwen-Sitz, Wittwen-Stuhl, 54
Wittib, Wittwe, vnde deriuetur, 54
- Y.
- Τηρέβολον, forte idem ac Morgen-gaba, vel Mitgiffes Verbesserung, 67 sq.*
- Z.
- Zana, quid? 95*
Zain, quid vet. iur. Sax. significet, 95
Zain-Gerichte, 95
Zimmere, quid? 96



S

154045

AB 154045

X2407318

KL 768 ta





Farbkarte #13



B.I.G.

LAI HIERONYMI
ENDLINGII ICTI
O AC POTENTISSIMO BORVSSIAE
SILIS INTIMIS ET ECCLESIASTICIS
M PROFESSORIS ORDINARII
DE
PTIONE
ORVM DOTE
ET
ORGENGABA
EX IVRE GERMANICO
LLVS SINGVLARIS.

C V M
BVS AVTORVM ET RERVM.



LIPSIAE
JOAN. CHRISTIANI LANGENHEMI.
CIO 19CC XXXI.